

lineæ, non tamen sumpta ex medio. Nam opinio ex medio probabili parta, & confecta est: scientia vero ex medio necessario.

Ad. 4.

Ad quartum respondetur, diuersas specie affectiones, siue passionis posse demonstrari de eadem re subiecta materialiter, non tamen de eadem re subiecta formaliter, siue sub eadem ratione formali. Ita risibilitas, & beatitudinis perceptibilitas de homine demonstrantur, non tamen sub eadem formali ratione. Namq; homo per aliam rationem est risibilis, & per aliam beatitudinis perceptiuus. Porro distinctio passionum ortum habet ex distinctione rerum perse primo obiectarum. Ex quo efficitur vt diuersitas scientiarum non sit attribuenda diuersitati passionum, sed diuersitati rerum perse primo obiectarum, quemadmodum vnitas vnitati.

Ad. 5.

Ad quintum respondetur, omnes scientias eadem cognoscendi ratione generali conuenire, quemadmodum & omnes opiniones, specialibus tamen inter se rationibus seiunguntur: quibus efficitur, vt vnus habitus specie differat ab altero habitu. Ex quo subinde conficitur omnes scientias ad vnum, & eundem generalem habitum pertinere, sub quo continentur diuersi specie habitus, quorum diuersitas sumitur ex diuersitate rerum perse primo obiectarum, & ex diuersitate rationum formalium obiectiarum.

omnes scientie pertinent ad vnum generalem habitum.

QVÆSTIO

SEXTA.



trum vero scientia sit vna simplex qualitas, an contra sit vnum quippiam per aggregationem siue vnum vnitate ordinis, magna quaestio est. D. Thomas. 12. q. 54. ar. 4. priorē sententiam est amplexatus hoc potissimum argumento adductus. Omnis perfectio proportionata est suo perfectibili: sed ha-

scientia est vna simplex qualitas apud D. Thomam

bitus est perfectio potentiae naturalis: sit igitur eidem accommodatus, & proportionatus necesse est: sed facultas naturalis vna ac simplex qualitas existens sub vna generali ratione multa, eaque diuersa attingit, quae eadem sub adaequato illius potentiae obiecto continentur: igitur habitus, vna ac simplex qualitas existens multa sub vna ratione formali obiectiua complectitur.

Accedit, quia illa multa, quae cadunt sub scientiam ad vnum aliquid referuntur, quod ipsum ille habitus potissimum spectat: est igitur habitus vna simplex qualitas in animo inhaerens, multa tamen attingens & complectens. Itade sententia D. Thomae, scientia est vna simplex qualitas ex qualitatibus diuersis minime composita, attingens omnes illius scientiae conclusiones. Ex quo iam efficitur vt percepta, & acquisita vna conclusione totus secundum substantiam sit habitus acquisitus, non tamen secundum vniuersam latitudinem tam intensiuam, quam extensiuam. Fit praeterea vt per quemlibet actum circa quamlibet conclusionem non acquiratur nouus habitus, sed is qui inerat perficiatur tam intensiue, quam extensiue: intensiue quidem, quoniam magis confirmatur, & tenacius inhaeret, extensiue vero, quoniam plura obiecta attingit, atque complectitur. Haec est Diui Thomae de vnitate scientiae sententia, in qua eadem est Henricus, quod lib. 9. quaest. 4.

Hanc tamen sententiam multi viri doctissimi non comprobauerunt, imo vero refellendam esse existimarunt. In quibus Ochamus. q. 8. prol. in eam sic inuehitur. In scientia sunt operationes intellectus specie differētes: igitur & habitus specie differētes, ac proinde & numero. Nam quae differunt specie, numero quoque differunt. Antecedens hinc patet. Naturalium facultatum actiones speciem consequuntur ex rebus obiectis, ex quo iam efficitur vt actiones tendentes in obiecta specie differētia, differant etiam specie: at in quamlibet scientia sunt obiecta propositionalia specie

Scientia non est vna simplex qualitas apud alios. Ocham.

1. Argu.

QVÆSTIO SEXTA.

specie differentia, quæ diuersitas aut ex subiecto, aut ex prædicato, aut ex utroq; simul ortum habet, ita hoc obiectum propositionale, Deus est bonus, specie differt ab hoc, Diabolus est damnatus, utrumq; tamen theologicum est: igitur actus intellectus in illa specie differentia obiecta tendentes differunt specie, ac proinde differentes cum specie, tum numero habitus procreant.

2. Argu. Item, Habitus ea est natura ut ad suscipiendas consimiles actiones inclinet, & impellat, ex quo efficitur ut habitus vnius conclusionis geometricæ ad actiones consimiles circa eandem conclusionem impellat: non igitur ad actiones circa conclusiones specie differentes.

Grego. 19. Doctissimus Gregorius. 3. q. prol. eandem sententiam multis argumentis refellit, & aduersarium multis urget incommodis.

1. Argu. Primum sic argumentatur. Calidum ut vnū non potest sic intense calefacere, sicut calidum ut octo igitur consecutus habitum vnius conclusionis, non iam potest vi illius habitus quamlibet conclusionem attingere.

4. Argu. Adde, quia cum scientia vnius conclusionis geometricæ potest in eodem stare opinio circa alteram, imo vero & deceptio: igitur omnium conclusionum geometricæ non est vnus habitus.

5. Argu. Præterea scientia vnius conclusionis amitti, ac tolli potest, interim non sublata scientia alterius conclusionis: non est igitur scientia vna numero ac simplex qualitas. Cōseq; probatur, quia amissione scientiæ vnius conclusionis tolleretur omnis scientia, quemadmodum acquisitione vnius acquiritur tota.

Quocirca hi authores de re proposita sic statuendum putant, ut dicant scientiā accipi posse duobus modis, vno modo pro habitu vnius cōclusionis: altero modo pro habitu multarum conclusionum. Ac priori quidem modo, scientia est vna simplex qualitas: posteriore vero modo non item, sed est habitus vnus vnitatem aggregationis,

sive vnitatem per se ordinis, sive attributionis ad vnum, cuius cognitio in scientia potissimum expetitur.

¶ Porro argumenta diu Thomæ diluuntur. Ac primum diluitur negata consecutione. Nam est longe dissimilis ratio in potentia naturali, & in habitu. Namque actiones ex naturali potentia profectæ, in obiecta etiam specie differentia tendentes, perficiunt illæ quidem potentiam, & habiliorem reddunt ad agendum: potentiam tamen non aggenerant, at actiones generant habitus, actiones inquam specie diuersæ. Nam actiones eadem specie acquisitum habitum perficiunt, & accessionem illi afferunt. Sunt autem actiones specie diuersæ illæ, quæ in obiecta terminantur specie diuersa. Cum igitur in scientia sint tam multa specie dissidentia obiecta, efficitur ut multæ sint etiam specie differentes actiones, ac proinde ex illis gignatur habitus specie diuersi. Quorum tamen diuersitas materialis est, utpote ex propositionalibus obiectis profecta, non tamen formalis. Nam scientia sub ratione formalis obiecti adequati tendit in omnia, quæ sub scientiam cadunt, quemadmodum potentia naturalis sub ratione formalis obiecti adequati tendit in omnia, quæ sub illo adequato obiecto continentur.

Quemadmodum enim vis videndi tendit in res sibi propositas sub ratione coloris, ita & Geometria, cui est linea ad spectandum proposita, omnia spectat sub ratione lineæ.

Ad secundum dicitur eo argumento effici solum, scientiam esse vnā vnitatem aggregationis, sive vnitatem per se ordinis ad vnum, quæ vnitatem non est vnitatem simpliciter, sed ex adiunctione, ac proinde scientia non est vna simpliciter, sed ex adiunctione solum.

¶ Quauis hæc Nominalium distinctio sit erudita, nos tamen utramque opinionem valde probabilem esse existimamus. Quocirca pro D. Thoma sic argumentamur. Quemadmodum se habet in habitibus

Scientia
partim est
simplex
qualitas,
partim non
item.

Authoris
de re pro-
posita iu-
diciū.

bus

bus moralibus, eodem modo se habet in habitibus intellectualibus: atqui in habitibus moralibus circa obiecta specie differentia versatur vnus, & idem numero habitus: igitur & in intellectualibus sic se res habet. Minor probatur. Temperantia se habens moderate circa obiecta gustus, non est habitus specie distinctus à temperantia moderate se habente circa obiecta tactus, sed vnus & idem habitus, cuius adæquatū obiectum est delectabile circa gustum & tactum.

Item vna numero prudentia est, quæ regulat vitam monasticam, æconomicam, ac politicam, cuius adæquatū obiectum est operabile secundum rectam rationem.

Postremo, ex qualibet actione intellectus circa quamlibet conclusionem per vos generatur nouus habitus: igitur ex qualibet actione virtutis circa aliud, & aliud obiectum virtutis generatur nouus habitus: hoc vero cum sit falsum: relinquatur vt illud etiam, ex quo colligitur, sit falsum.

Thomæ
defensio.

¶ Quocirca pro D. Thoma ad argumenta aduersaria responderi facile potest. Interim annotamus. Vnitatem, siue diuersitatem specificam habituum, non sumi ex vnitatem specifica, aut diuersitate rerum materialiter obiectarū, sed rationis formalis obiectiue. Ita fit vt illi habitus sint specie cōsentientes, qui sub eadē ratione formali tendunt in obiecta, quantumvis specie differentia. Quoniam vero omnes actiones intellectus in vna aliqua scientia sub eadē ratione formali attingunt omnia, quæ sub illam scientiam cadunt, hinc fit vt sint similes, ac proinde perficiant eundem numero habitum, tam intensiue, quam extensiue: intensiue quidem, quatenus efficiunt vt eadem numero qualitas firmiter inhaereat: extensiue vero, quia interuentu illarū actionum eadem qualitas, siue idem habitus plures res complectitur. Est enim ille habitus plurium rerum scientia.

scientia
est vna
subiecti-
ue, plures
vero obie-
ctiue.

Hinc iam consequitur, vt quælibet scientia sit vna subiectiue: est enim simplex qualitas in animo inhaerens, plures vero obie-

ctiue, hoc est, multa obiecta complectens. Ita fit, vt sublata, & ex animo deleta vna conclusione, non tollatur scientia illius conclusionis subiectiue, sed obiectiue duntaxat. Non enim illa qualitas in animo inhaerens iam rem illam obiectiue attingit. Hinc iam intelligitur aduersariorum argumentorum explicatio.

Ceterum Nominales ad tria illa argumenta, quæ pro tuenda Diui Thomæ sententia confecimus facile responderent. Ad primum responderent negando minorem. Nam habitus temperantiæ moderate se habens circa delectabilia gustus est distinctus ab eo, qui moderate se habet circa delectabilia tactus. Ille enim dicitur sobrietas, hic castitas, de quibus temperantia tanquam genus prædicatur. Et ita etiā alia est prudentia monastica, alia æconomica, & alia politica. Vnde iam patet responsio ad secundum.

Ad tertium, negatur consecutio. Nam obiecta propositionalia, quæ sunt conclusiones, sunt specie differentia, obiecta vero eiusdem virtutis, non item, et ideo illa diuersificant actus secundum speciem, & per consequens & habitus, hæc vero minime. Ac de vnitatem, ac diuersitate scientiæ hæcenus.

QVÆSTIO

SEPTIMA PROLOGI.

¶ *Utrum sacra theologia sit scientia practica, an speculatiua?*



LLA ETIAM quæstio ad explicandam huius scientiæ qualitatem pertinet, qua quæritur, sit ne hæc scientia practica, an speculatiua?

Hæc porro quæstio tunc a nobis commode explicabitur, cum fuerit expositum quid sit praxis, a qua scientiæ practiciæ, hoc est actiue nominantur.

Praxis

Q V A E S T I O S E P T I M A .

Praxis accipitur 4 modis.

Praxis igitur quatuor modis accipitur, scilicet latissime, pressius, multo pressius, & maxime proprie.

Praxis latissime.

Praxis igitur latissime est cuiusvis facultatis, siue naturalis, siue non naturalis, sed libera actio, atque operatio. Etenim praxis idem declarat quod operatio: iam autem cuiuslibet facultati convenit operari.

Praxis strictius.

Praxis vero pressius, est operatio voluntaria, siue posita in potestate voluntatis, siue sit elicitā a voluntate, siue ab eadē imperata, siue finem ipsum, siue ea quæ ad finem referuntur, attingat.

Praxis multo pressius.

Praxis multo pressius sumpta, est operatio sita in voluntate, quæ ipsa est electio, vel consequens electionem.

Praxis propriissime.

Praxis vero maxime propria, est operatio sita in arbitrio voluntatis, quæ ipsa est electio, aut consequens electionem, profecta ex alia ab intellectu facultate. Etenim auctore Aristo. intellectus extensione sui fit practicus: atqui huiusmodi extensio non convenit intellectui se se intra munera intellectus continenti: igitur eidem convenit, quatenus respicit alterius facultatis operationem, & in ipsam tendit.

Cum igitur tot modis dicatur praxis, scientiæ nominantur practica ex praxi quarto modo sumpta. Namq; ipsa veri contemplatio, ex qua scientiæ contemplatiuæ nominantur, in praxim primo, secundo, & tertio modo dictam incurrit. Etenim veri contemplatio est operatio facultatis intellectiuæ, sita in arbitrio voluntatis, & sub electionem cadens.

Praxis, ex qua scientiæ practicae nominantur quid sit.

Quocirca praxis, ex qua scientiæ practicae nominantur, in hunc modum definitur. Praxis est operatio alterius facultatis, quæ intellectus, posita in facultate voluntatis, quæ ipsa vel est electio, vel certe consequens electionem. Hæc definitio est absoluta, nempe quia vim praxis omnino declarat, & ipsam ab omnibus alijs operationibus seiungat. Nam prima particula, praxim, secernit a contemplatione, quæ est actio facultatis intellectiuæ. Secunda excipit

omnem actionem naturalem, quæ ipsa tamen actio sit alterius facultatis ab intellectu, non tamen est posita in potestate voluntatis. Tertia demum particula excludit omnem actionem, quæ neque est electio, neq; consequens electionem.

Hinc iam intelligi potest, minus bene Scotum. 5. q. prologi vim praxeos explicasse, qui praxim esse dicit operationem alterius facultatis ab intellectu, posteriorem intellectione, natam elici consentaneæ rectæ rationi: siquidem illa definitio etiā convenit operationi voluntatis circa finem quæ ipsa neque est electio, neque electionem consequens.

Minus itidem accurate Ochamus praxim definiuit, ut qui eam esse dixerit, omnem in potestate voluntatis sitam operationem, spectatam ab intellectu, cadentemque sub electionem voluntatis. Latius enim patet definitio re quæ definitur. Namq; contemplatio, & omnino actio intellectus sunt in potestate voluntatis positæ, & spectantur ab intellectu, caduntque sub electionem.

Neque itidem Heruæus vim praxeos videtur omnino explicasse, qui praxim esse asseruerit. 4. q. prologi operationem imperatam ab intellectu, media voluntate, qua scientia rem sibi propositam attingit, vel ipsam efficiendo, ut edificatoria ars: vel aliquid ad ipsius effectum moliendo, ut ars medica, quæ potionem conficit naturæ ad effectum valetudinis inservientem. Etenim hæc definitio convenit actioni etiam intellectus ei, per quam intellectus ipse aliquid intra fabricatur, ut effectio syllogismi. Namque huiusmodi actio ab intellectu imperio voluntatis suscipitur, estque effectrix syllogisticae structuræ. Est igitur illa nostra definitio omnino absoluta: nempe quæ vim praxeos omnino declarat, ipsamq; à cæteris omnibus operationibus omnino seiungat.

Hinc colligi potest definitio practicae cognitionis. Est igitur cognitio practica, cognitio ad hæc actualis, siue habitualis

Praxis quid sit apud Scotum.

Praxis apud Ochamum, quid sit.

Praxis apud Heruæum.

Cognitio practica quid sit.

aeri

Veri complexi directrix operis in nostra potestate constituti. Huiusmodi est ratio dictans subueniendum esse egenti. Ac illa actio, nempe subuentio, est praxis. Est enim operatio alterius facultatis ab intellectu, sita in potestate voluntatis, sequens electionem. Actio porro intellectus illius operationis directiua, est practica, non praxis.

Hinc iam intelligitur duo esse, quæ rationem complent habitus practici, scilicet obiectum operabile, & finis operatio. Necessesse est enim, ut aliqua cognitio sit practica, ut & versetur circa rem operabilem, & finistali cognitioni propositus, sit operatio. Non enim satis est cognoscere rem operabilem, sed illud præterea requiritur, ut huiusmodi cognitio ad effectiorem rei cognitæ dirigat. Hoc autem posterius, nempe directio ad operationem, ortum habet ex priore, nempe ex obiecto operabili.

Nisi enim res cognitioni obiecta esset eius modi, quæ cadere sub effectiorem, aut actionem posset, cognitio illa non esset directiua operationis. Ex quo iam efficitur, ut scientia nominetur practica formaliter quidem ex fine, radicaliter vero, siue causaliter ex obiecto, quemadmodum Heruasus 4. q. prologi, Durandus vero 6. disertissime annotauerunt.

¶ Scotus tamen quinta. q. prologi, in diuersa est opinione, & sententia, ut qui existimet scientiam non nominari vllomodo practicam ex fine, sed ex obiecto duntaxat. Nam si finis daret appellationem scientiæ practicæ, aut daret quatenus extra positus, aut quatenus intentus, aut quatenus cognitus: non primo modo. Nam specificatio non sumitur ex posteriori: sed finis prout extra positus, est posterior habitu, ut qui sit effectus ipsius habitus: ergo non largitur ei appellationem, siue specificationem. Neque itidem ut intentus ob eandem causam. Non enim quod est posterius largitur appellationem ei, quod est prius: at finis ut intentus est posterior fine ut cognito: prius est enim finem cognoscere, deinde ipsum intendere, siue

sibi proponere: non enim quisquam sibi finem, nisi præcognitum, proponit: cognitio igitur non dicitur practica ex fine, ut intento. Neque postremo ex eodem, ut cognito, dicitur practica: sic enim eueniret, ut ex re obiecta præcise, practici appellatio nasceretur. Nam finis, ut cognitus, vim habet obiecti.

Præterea, habitus dicitur practicus aut quia actu operatur, aut quia est habilis ad operandum: non priori modo, alioqui artifex in operationem non incumbens, aut operari non intendens, non haberet habitum practicum: dicitur igitur habitus practicus ex eo quia est aptus, & habilis ad operandum: atqui omnisabilitas & aptitudo supponit aliquod absolutum in illa natura, cuius interuentu illa natura est habilis ad operandum: insit igitur oportet in habitu, qui dicitur practicus, absolutum aliquid, cuius interuentu illi conueniat aptitudo, & abilitas ad operandum. Illud vero cum sit aliquid prius, causæ autem priores sint intellectus, & obiectum, sequitur ut notitia dicatur practica ex intellectu, & obiecto.

¶ Hæc Scoti argumenta facile diluuntur. Ad primum, concedimus aduersario singula illius enumerationis membra: negamus tamen illa consequi, quæ aduersarius inde voluit esse confecta. Ad primum igitur dicimus denominationem, siue specificationem non sumi ex posteriore formaliter, & intrinsece, siue per modum efficientis: bene tamen extrinsece, & per modum finis. Quauis enim finis in intentione sit prior ijs, quæ ad finem ordinantur, idem tamen effectum postremum quiddam est. ¶ Hinc iam patet responsio ad secundum. Nam licet finis prius natura sit cognitus, quam intentus, non tamen iam inde illud est consequens, ut finis appellationem habitui minime largiatur. Largitur enim fin minus formaliter, & interne, certe externe. Tertium etiam incomodum facile diluitur. Nam etsi facile concedamus finem, ut cognitum,

Duo sunt de ratione habitus practici, scilicet obiectum operabile & finis operatio.

Scientia nominatur practica formaliter quidem ex fine, causaliter vero ex obiecto. Scotus.

tum, habere rationem obiecti cogniti: nō tamen damus illud sub rationē obiecti afferre distinctionem, aut speciem habitui, sed sub ratione finis propositi ipsi cognoscenti.

Habitus dicitur practicus non quia actu operetur, sed quia sit idoneus ad operandum.

Ad secundum respondetur habitum dici practicum, non quia actu operetur, sed quia sit aptus, & idoneus ad regulandam externam actionem. Hæc ipsa tamen habitus, vel non secernitur re ipsa ab ipsa cognitione practica, sed est ipsa met cognitio practica sic apta, quemadmodum hominis natura est ipsa eius ad rationem utendum habitus, vel certe si distinguitur a cognitione, à nulla causa a liâ proficiscitur nisi ab ea, a qua profecta est ipsa cognitio, nempe ab intellectu ipso, tametsi intellectus etiam concurrat effectiue, sub rationē obiecti mouentis.

DE HABITU, SIVE COGNITIONE CONTEMPLATIUA: sive speculatiua.

Cognitio contemplatiua quid sit.

Adhuc de cognitione practica, ac praxi differuimus, superest vt de intellectu, siue habitu cōtemplatiuo, deq; ipsius actione differamus. Est igitur contemplatio, intellectus circa rem sibi prapositā operatio, in sola veri cognitione consistēs, interim tamen operationem minime dirigens, sed gratia sui existens. Illa particula, in sola veri cognitione consistens, contemplationem seiungit à cognitione practica, quæ ipsa in veri cognitione minime consistit, sed praterea ad effectiōnē, siue molitionem dirigit rei propositæ.

Scientia contemplatiua est perfectiua intellectus.

Itaq; in scientia, siue habitu practico, cognitio est directiua operis, in scientia vero contemplatiua, cognitio ad veri cognitionem ordinatur. Vnde sola veri cognitione, & inuentione contenta ad operationem minime dirigit. Hinc iam cōsequitur scientiam contemplatiuam esse perfectiuam intellectus, vt qui in veri cognitione, & inuentione conquiescat,

Tribus Notādum est hoc loco magnopere ope

rationem tribus modis se habere ad scientiam, nempe antecedenter, obiectiue, & consequenter. Illa operatio se habet antecedenter ad scientiam, quæ hominem impellit, aut ad scientiam comparandam, aut ad ipsam habitam & comparata utendum, vt amor literarū, seu lucri, ac quæritus cupiditas. Huiusmodi operatio acquisitionem scientiæ antecedens, non largitur scientiæ denominationem, vt quæ sit finis propositus non quidem scientiæ, sed scienti. Obiectiue vero se habet operatio ad scientiam, cum proposita ante mentis oculos re operabili, spectatur solum ipsa operandi ratio, veluti sciendendi, aut dolandi, interim tamen non relata cognitione ad operationem, ceu ad ligni sectionē, siue expolitionem. Tunc enim operatio arti consentanea est res obiecta consideranti, & non finis eidem propositus. Hæc etiam operatio non tribuit appellationem scientiæ practicæ, siquidem non se habet ad cognitionem, vt directa per illam, sed vt obiecta illi per modum rei speculabilis. Consequenter vero illa operatio se habet ad scientiam, quæ est obiectum scientiæ, vt pulsatio artis pulsandi, aut ipsius interuentu ipsa scientia efficit rem sibi obiectam, veluti extractio, qua ars adificandi extruit domum, vel certe est vt concausa, vt potio amara, quam efficit ars medica, cuiusq; interuētū cooperatur medicus ipsi naturæ, in qua præcipua vis inest ad restituendam valetudinem. Neq; enim illud est necessarium, vt habens scientiā practicam sit sufficiens, & adæquata causa operis sibi ad faciendum propositi, sed satis est vt sit concausa, & cooperans. Hæc sint in hunc modum, de praxi, & cōtemplatione, deq; scientia practica, & speculatiua generatim tradita, superest vt ad explicationem propositi initio Theorematis transeamus.

modis se habet operatio ad scientiam antecedenter, obiectiue, consequenter.

Finis scientiæ non est finis scientiæ.

Operatio obiecta artificii per modum rei speculabilis, & tribuit scientiæ denominationem practici.

EXPLICATIO. QVAESTIONIS INITIO PROPOSITÆ.

Hæc

1. Cōclu. **H**AEC igitur prior de re proposita statuitur conclusio. Sacra Theologia partim contemplatiua est, & partim practica. Ac esse contemplatiuam hinc intelligitur, quia eius operatio circa suum primum obiectum, nempe deum, diuinamque perfectionem tam in se, quam prout cer nitur in suis effectis, est sola veri, hoc est, veritatum ad tale obiectum attinentium, cognitio: iuxta illud Ioan. 20. hæc scripta sunt, vt credatis, hoc est, diuina mysteria fidei lumine illustrati cognoscatis. Adde quia primum huius scientiæ obiectum, non sit quiddam operabile, neque nostra actione factibile. Esse autem actiuam hinc intelligitur, quia res eidem secundario obiecta, est quiddam operabile, ceu opus meritorium, cuius principium actiuum, sin minus totale, saltem partiale inest in nobis.

sacra Theologia partim speculatiua est, partim practica.

Theologia creata quædam est imago Theologiæ diuinæ, & in creatæ.

Præterea ad eandem conclusionem sic argumentor. Illa scientia, quæ vna existens, complectitur tam speculabilia, quàm operabilia, in quibus tractandis versantur diuersæ scientiæ humanæ, quarum aliæ sunt actiuæ, aliæ vero contemplatiuæ, est simul contemplatiua, & actiua: At sacra Theologia est huiusmodi: est igitur simul practica, & speculatiua. Vnde hæc diuina scientia diuinæ illius & increatæ quædam imago est, atque participatio, quæ omnia cognobilia complectitur, ac proinde ratio est cum cognoscendi omnia, tum faciendi.

2. Cōcl. sacra Theologia potius & principalius est speculatiua, quàm practica.

Secunda conclusio. Sacra Theologia potius ac principalius speculatiua est, quàm practica. Probatio. Illa scientia potius, ac principalius est speculatiua, quam practica, cuius primum obiectum, non est aliquid a nobis factibile, sed cognobile solum, & speculabile: contra vero secundarium est aliquid factibile: At sacra Theologiæ primum obiectum non est aliquid factibile: est enim Deus sub ratione Deitatis, secundarium vero est aliquid factibile, nempe opus meritorium: igitur sacra Theo-

gia potius, ac principalius est speculatiua, quam practica.

Adde, quia sacra Theologia versatur potius in diuina perfectione tam in se, quam prout elucet in suis effectis, explicanda, quam in moribus instituendis: imo vero omnis morum in sacra Theologia institutio eo pertinet, vt Deus in via diligatur, & tandem ad extremum in patria conspiciatur. Vtraque conclusio est D. Thomæ. 1. p. q. 1. ar. 4.

Thomas

RESUMPTIO CONCLUS.

Sunt qui ab vtraque nostra conclusione dissentiant. Ac a priori conclusione illi dissentiunt, qui existimant Theologiam neque practicam esse, neque speculatiuam: sed affectiuam potius. In hac sententia, & opinione fuere Egidius. 12. q. prol. Bonauët. q. 3. Alfonso. q. 4. Argentina. q. 4. id vero hoc argumento volunt esse persuasum. Cum multi fines sunt alicui habitui propositi, ex eo fine habitus sumit speciem, & appellationem, qui est principalior: ille vero est principalior ad quem ceteri fines referuntur: at sacra Theologiæ sunt multi fines propositi, nempe cognitio Dei, diuinorum mandatorum obseruantia, actio virtuti consentanea, postremo ipsius Dei dilectio, et his omnibus præstat dilectio Dei, vt author D. Paul. 1. cor. 13. Nunc, inquit, manent fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas: quibus verbis docet D. Paulus Dei dilectionem in vita esse præstantiorem, & optabiliorem cognitione ipsius Dei. Idem eodem cap. charitatem anteferendam esse censet omnibus habitibus, imo vero omnibus actionibus tam intellectus, quam voluntatis: relinquitur igitur ex dilectione sacram Theologiam esse nominandam, ac proinde affectiuam esse appellandam. Cumque contemplatiuum, & actiuum sint in intellectu: affectiuum vero insit in voluntate, sequitur id, quod est actiuum, & contemplatiuum,

Egidius. Bonauët. Alfonso. Argentina.

1. Argu.

Paulus

tium, non esse affectiuum, neq; contra: ac proinde cū Theologia sit affectiua, nullo modo eā esse actiuā, aut contēplatiuā.

Scotus.
Durandus.
2.

¶ Scotus. 4. q. prologi, Durandus. 6. q. prologi, posteriori conclusioni dissentiunt, vt qui existiment Theologiam esse omnino ac simpliciter actiuam. Ac Scotus ita argumentatur. Illa scientia est omnino, & simpliciter actiua, cuius finis est praxis: atqui finis Theologiæ nostræ est praxis: est igitur omnino ac simpliciter actiua.

Dilecto
dei est
Praxis.

Minor patet ex D. Paulo dicente .i. Timoth. i. Finis præcepti charitas: at dilectio Dei est praxis, est siquidem operatio alterius ab intellectu facultatis recta ratione regulabilis: igitur &c.

3. Adde, quia principia Theologiæ sunt practica, vt quæ sumantur à fine ultimo: sunt igitur & conclusiones ex eisdem principijs deductæ, practica, & ad actionem accommodata.

4. Accedit, inquit Aureolus, quia res sacræ Theologiæ ad considerandum proposita est huiusmodi, quæ nostra operatione possit attingi: est igitur scientia simpliciter practica. Consecutio patet ex supradictis. Antecedens vero ex eo ostenditur, quia Deus est ab homine præstantissimis fidei, spei, & charitatis actionibus attingibilis, vniuersaq; Theologiæ institutio eo refertur, vt homo nouerit actiones suas ad Deum cōsequendū, fruendumq; cōferre.

5. Postremo, inquit Durandus, sacra Theologia regulat actionē nostræ voluntatis circa diuina, docens diuinis esse fruendū non utendum, rationemq; tradit & diuini Nominis colendi, & actionis meritoria obsequenda. Quæ omnia ad actionem pertinent, non contēplationem.

Theologia
nostra est
simpliciter
contēplatiua,
apud Henricum.

¶ Henricus in summa ar. 8. q. 2. ab his dissentit, vt qui Theologiam nostram simpliciter, & omnino esse contēplatiuam confirmet, tum primo, quia res obiecta Theologiæ non sit operabilis à nobis, sed speculabilis duntaxat. Tum secūdo, quia præcipua Theologiæ tractatio versatur in explicatione diuinæ perfectionis in se, &

prout cernitur in suis effectis, per quandam ad extra diffusionem. Tum tertio quia principia Theologiæ sunt simpliciter speculabilia: sunt enim articuli fidei, quorum perse habitus est fides, quæ ipsa est habitus speculatiuus. Tum quarto, quia Theologia nostra quadam est, diuinæ, & increatæ Theologiæ participatio: iam autem diuina Theologia in contēplatione tota consistit: Deus enim cum se perpetuo contēplatur, tum omnia ad bonitatem suā refert, quam contēplatur. iuxta horum Doctorum sententiam veri cognitio præstat actioni rectæ. Namq; vniuersa de moribus institutio eo pertinet, vt animus omni perturbatione vacuus possit mentis aciem melius veri inuestigatione, & conquisitione defigere. Confirmatur Christi Domini testimonio & autoritate, qui contēplationem Mariæ actioni, & negotio Martha antetulit: significans in patria nulli actioni, & procuratori rerū etiam honestissimarum locum relinqui, sed ibi solum contēplationi summi veri inhareri.

summi veri
contēplatio
præstat
actioni
rectæ.

Luc. xij.

DILVTIO ARGVMENT.

¶ Quod igitur ad prioris conclusionis refutationem attinet, illud argumentum diluimus dicentes, sacræ Theologiæ finem externū esse ipsam Dei dilectionem, finem vero internum esse diuinitatis cognitionem eam, per quam proxime accedimus ad cognitionem summæ veritatis eam, quæ in patria obrinetur: ea autem est posita cum in sincera diuinarum rerum cognitione, & intelligentia: tum in purissima delectatione voluntatis. Iam autem sinceram hanc diuinarum rerum intelligentiam, hanc sanctissimam delectationem voluntatis consequi in vita non possumus, nisi Deum amore, & benevolentia complectamur: & conuenienter virtuti viuamus. Hinc frequentissima illa in diuinis literis

Ad. r.

Dilectio Dei & actio virtuti consentanea sunt fines Theologiae per extensionem.

Nota.

Nulla scientia appellanda est affectiva.

Ad. 2.

Dilectio non est praxis.

Ad. 3.

Philip. 3.

Principia Theologiae nihil de ac

ris ad Deum diligendum, & ad actiones honestissimas suscipiendas profecta est cohortatio. Ex quo efficitur, ut Dei dilectio, & actio virtuti consentanea sint fines Theologiae per extensionem solum, & quadam veluti consecutione. ¶ Præterea, ut demus aduersario Theologiam esse affectiuam, illud tamen non concedimus non esse eam aut actiuam, aut contemplatiuam. Nam quauis affectio sit in voluntate, non tamen iam inde conficitur, scientiam nominatam ex affectione non esse in intellectu, ac proinde non esse hanc scientiam aut actiuam, aut contemplatiuam nominandam. Nam & operatio illa ex qua scientia nominatur practica, non inest in intellectu, sed in facultate altera, ex ea tamen nominatur scientia actiua, quæ inest in intellectu. Accedit, quia cum scientia sit habitus intellectus, nulla scientia nominanda esse videtur affectiua. Nam operatio voluntatis non tribuit appellationem, siue denominationem habitui intellectus.

Ad secundum, Negamus Dei dilectionem esse praxim. Nam tametsi sit operatio alterius facultatis ab intellectu, est tamen operatio voluntatis circa finem, ac proinde neque est electio, neque consequens electionem.

Ad tertium omnino negatur antecedens. Nam principia Theologiae ad cognitionem pertinent potius, quam ad actionem. Nihil enim de rebus agendis præcipiunt: accomodantur tamen interdum ad actionem, quatenus ex illis conficitur conclusio ad praxim pertinens. Huius generis multæ in sacris literis reperiuntur conclusiones, in quibus est illa D. Pauli ad Philip. 3. Hoc enim, inquit, sentite in vobis, quod & in Christo IESU, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipens, &c. His verbis D. Paulus Philippenses ad animi moderationem, ac submissionem cohortatur, proposita, & quasi ante

oculos subiecta admirabili Christo submissione, qua eo se demisit ut humanam formam indueret, seseque ad hominis conditionem attemperaret. D. etiam Petrus prioris Epistolæ cap. 4. viros christianos ad tolerantiam adhortatur, Christi dominionis passione ante mentis oculos proposita, ita inquit, Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Nihil autem est incommodi ex principio speculatiuo colligere practica conclusionem. Etenim Nautica perit ex principio Astronomico, nepe quod taliu astroru concursu turbidi in mari motus existunt, concludit non esse tali tempore nauigandum: id quod ad actionem pertinet.

Ad 4. Respondetur, rem subiectam scientiæ practicae sic operatione illius scientiæ attingi, ut ipsius interuentu fiat, sic domificatoria facit domum, & freni effectrix facit frenum: at non sic Deus attingitur actionibus, fidei, spei, & caritatis.

Ad 5. quod erat Durandi, respondetur eo argumento concludi Theologiam nostram esse ex parte actiuam, id quod nos etiam Durando lubenter concedimus. Ac quatenus actiua est, tradit rationem diuini numinis colendi, & præclaras, præmioque sempiterno dignas actiones ob-eundi.

Porro Henrici sententia à nobis stat. Docet enim sacram Theologiam simpliciter, & omnino esse contemplatiuam, ex parte vero, & quadam extensione esse practica, cum scilicet de Deo diligendo, ac venerando, de præceptis ipsius seruandis, atque adeo de vita ad Christi exemplar componenda, & instituenda præcipit.

Nominalium hac de re facilis, & aperta sententia est. Nam cum scientia sit habitus conclusionis, & conclusio sit res obiecta scientiæ, scientia ipsa, quæ est vna unitate aggregationis multarum conclusionum, practica, & speculatiua iudicanda est ex ipsa conclusionem, quatenus videlicet quædam conclusiones sunt, quæ ad actionem per-

tione præcipiunt, accomodantur tamen ad actionem, ceu articulus incarnationis. Nihil autem est incommodi ex principio speculatiuo colligere conclusionem practica.

Ad. 4.

Ad. 5.

Henrici opinio ad mittitur.

Nominalium sententia.

tinent, quaedam vero ad contemplationē,
& veri cognitionem solum, vt Deus est
trinitas, pater generat.

QVAESTIO
OCTAVA PROLOGI.

*¶ Vtrum nostra Theologia sit scientia
Dei, & Beatorum subal-
ternata?*



Osita distinctione ex-
plicatur quæstio dua-
bus conclusionibus. Di-
stinctio est huiusmodi,
cognitio a cognitione
duobus modis depen-

Depēdē
tiacogni-
tionis
duplex,
aut vt
scientis
a sciēte,
aut ob-
iecti ab
obiecto.

det. Vno modo secundum dependentiam
scientis a sciēte, quo modo is qui nō est
capax demonstrationis dependet a præ-
ceptore, cuius doctrinæ assentitur perfidem.
Altero modo cognitio pendet a cogni-
tione secundum dependentiam obiecti
scibilis ab obiecto, id quod tunc fit cum
obiectum continetur sub obiecto, aut si-
cut pars in modo sub toto in modo, quo-
modo linea visualis continetur sub linea,
aut sicut effectus sub causa, eaque aut fina-
li, quomodo frenum continetur sub equi-
tatione, quam spectat ars equestris, aut ef-
fectiua, quomodo sanitas continetur sub
facultatibus, & proprietatibus naturali-
bus, quas physicus spectat. Prius igitur il-
lud dependentiæ genus non efficit legiti-
mam subalternationem, nempe cum co-
gnitio secundum talem dependentiam de-
pendeat a cognitione, sicut fides a scien-
tia eiusdem obiecti, & sicut cognitio obs-
curior a cognitione clara eiusdem obie-
cti. Posterius vero genus dependentiæ le-
gitimam efficit subalternationem. Ex ta-
li siquidem dependentia ortum habet es-
sentialis illa inter scientiam subalternan-
tem, & subalternatam differentia, nempe
quod scientia inferior dicit quod est, su-

Legiti-
ma subal-
ternatio
consistit
in depē-
dētia
obiecti
ab obie-
cto.

perior vero propter quid, hoc est, cau-
sam exponit eius, quod sumit scientia
inferior.

Ponuntur ergo duæ conclusiones, qua-
rum prior est huiusmodi. Sacra Theolo-
gia scientiæ Dei, & Beatorū est minus pro-
prie, minusque legitime subalternata: vt
quæ dependeat ab illa, eo genere depen-
dentiæ, qua sciens dependet a sciēte. Ete-
nim illud idem quod theologus beatus
clare nouit, theologus viator sub eadem
ratione formali nouit obscurius.

Posterior conclusio. Theologia viato-
rum Theologiæ beatorum non est legiti-
mo subalternationis genere subalternata,
id vero ex ijs quæ in legitima subalterna-
tione requiruntur, quæ eadem in vtraque
Theologia minime reperiuntur, facile in-
telligitur. Nam scientia subalternans di-
cit propter quid, subalternata vero, quod
est. Item scientia subalternata addit dif-
ferentiam subiecto scientiæ subalternantis.
Ad hæc subalternans, & subalternata non
sunt primo de eisdem veritatibus, inde e-
nim incipit scientia inferior, vbi desinit
scientia superior. At hæc omnia minime
cernuntur in nostra, ac beatorū Theolo-
gia. Nam quod ad primū discrimē attinet,
Theologiæ nostræ principia, aut nō habēt
propter quid, aut nos & beati dicimus
idem propter quid. Item Theologiæ bea-
torum, & viatorum est eadem res subie-
cta, sub eadem ratione formali, nempe
Deus sub ratione Deitatis. Postremo Theo-
logia beatorum, & viatorum sunt de eis-
dem veritatibus primo, & ex eisdem prin-
cipijs: non est igitur hæc illi legitime sub-
alternata.

D. Thomas. i. part. q. i. artic. 2 existima-
uit Theologiam viatorum esse legitime
subalternatam Theologiæ beatorum, hoc
argumento persuasus. Vis & ratio subalter-
nationis in eo consistit, vt sciētia subalter-
nata dependeat a subalternante, non qui-
dē quoad probationē, vt scilicet principia
scientiæ subalternatæ sint demonstrata in

Prior Cō-
clusio.

Posteri-
or cōclu-
sio.

Theolog.
viatorū
non est
legitime
subalter-
nata the-
ologiæ be-
atorum.

D. Thom.

Vis & ra-
tio subal-
ternatio-
nis in quo
consistat
apud D.
Thomam.

scien-

scientia subalternāte, sed quoad euiden-
tiam, vt videlicet principia scientiæ in-
ferioris sint ibi euidencia, et scientia in-
ferior habeat conclusiones visiles in & ex
principijs scientiæ superioris. Id probat ex
eo, quia vis omnis & natura scientiæ po-
sita est in continuatione cum habitu su-
periori, quoad euidenciam cōclusionum,
aut immediate, hoc est, non mediante ali-
quo alio habitu, id quod solum habet lo-
cum in scientia subalternāte, aut media-
te, hoc est, mediante habitu scientifico
superioris scientiæ, id quod conitur in
scientia subalternata. Ex quo colligunt
essentiale inter scientiam subalternantem
& subalternatam discrimen in eo cōsis-
tere, quia conclusiones scientiæ subalter-
nantis sunt euidentes in principijs imme-
diate, subalternatæ vero, mediate. Cæte-
ra vero discrimina aut sunt essentialis hu-
ius discriminis consequentia, aut perti-
nent ad scientiam subalternatam talem,
& non subalternatam simpliciter. Cum
igitur credibilia, quæ sunt in nostra Theo-
logia principia sint in Theologia beatorū
euidencia, sequitur vt nostra Theologia
sit beatorū illi legitime subalternata. Ca-
ietanus. 1. p. q. 1. ar. 2.

Caietanus

DILVTIO ARGVMENT.

Nos a Diuo Thom. & ab eius interpre-
te Caietano lubenter dissentimus, vt qui
existimemus quamlibet scientiam etiam
subalternatam habere euidenciam cōclu-
sionum in & ex principijs immediate.
Nam artificij cuiq; sunt artis suæ princi-
pia euidencia, quoad cognitionem quia
est, quæ sensu, & experientia comparatur.
Ex quo illud primum consequitur, non ne-
cesse habere artificem subalternum reuo-
care suas conclusiones ad principia sci-
entiæ subalternantis, quo illi sint euidentes:
tum quia nulla scientia requirit cognitio-
nem propter quid suorum principiorum
tum quia eidem sunt euidencia sensu &
experientia. Deinde illud consequitur,

Cuique
artificij
sunt artis
suæ prin-
cipia eui-
dencia
quoad
cognitio-
nem quia
est.

illa eadem principia esse artifici subalter-
no credita, quoad cognitionem propter
quid, quod genus cognitionis in princi-
pijs minime requiritur.

Damus igitur D. Thomæ, & Caietano
eius interpreti artifici subalterno princi-
pia esse credita quoad cognitionem pro-
pter quid non tamen quoad cognitionē
quia est, sed euidencia, & intellecta poti-
us. Alioqui si artifici subalterno princi-
piorum euidencia in tali scientia mini-
me conceditur, non est quod scientia sub-
alternata, quatenus præcindit à subalternā-
te, sit in scientijs, quod tamen aperte fal-
sum est.

Artificij
subalter-
no princi-
pia sunt
credita,
quoad
cognitio-
nem pro-
pter quid
Nō tamē
quoad co-
gnitionē
quia est.

QVÆSTIO
NONA PROLOGI.

¶ *Vtrum sacra Theologia ceteras sibi
scientias subalternet?*



Posita distinctione po-
nuntur aliquot cōclu-
siones. Distinctio est
huiusmodi. Triplex re-
peritur subalternatio-
nis modus. Primus mo-
dus in eo positus est, vt scientia attingat
optimum in genere: ceteræ vero scientiæ
illud minime attingant. Hoc modo inter
Metaphycem, & ceteras alias scientias
subalternatio intercedit. Etenim Meta-
phyce optimum in toto genere, idest, De-
um ipsum attingit, quem non attingunt
ceteræ. Secundus modus est, cum vna
scientia largitur alteri principia, ad quo-
rum normam & regulam exiguntur ea,
quæ in alia scientia traduntur. Hoc mo-
do affecta est Geometria ad Perspecti-
uam, illa siquidem largitur principia
perpectiuæ. Quo efficitur, vt hæc cum
illa cohæreat, inde siquidem incipit Pers-
pectiua, vbi desinit Geometria. Tertius

Triplex
subalter-
nationis
modus.

Primus.

secundus.

QVÆSTIO NONA.

Tertius. subalternationis modus est cum scientia subalternans, & subalternata de eodē sunt omnino, diuerso tamen modo, & diuersa tractandi ratione, illa siquidem ex causa, hæc vero ex signo, & effectu procedit. Hoc modo Astronomia affecta est ad Nauticā, & Musica Mathematica ad Harmonicam. His inhunc modū præpositis subiunguntur nonnullæ conclusiones.

1. Cōclu. Prima conclusio. Sacra Theologia non subalternat sibi ceteras scientias secundo subalternationis modo. Non enim sacra theologia largitur principia ceteris scientiis.

2. Cōclu. Secunda conclusio. Sacra Theologia non subalternat sibi ceteras scientias tertio subalternationis modo. Nam sacra theologia de Deo est sub ratione Deitatis, sub qua ratione nullis in scientiis de Deo agitur.

3. Cōclu. Tertia conclusio. Sacra Theologia subalternat sibi omnes scientias primo subalternationis modo. Probatio. Quando finis est sub fine, scientia est sub scientia: at sub fine sacre theologie continentur fines alijs scientiis propositi: igitur ceteræ scientiæ sub sacra theologia tanquam ancillæ sub domina continentur. Minore ex eo intelligitur, quia theologia Deū spectat sub ratione Deitatis, cui tanquam domino omnia subiunguntur, & ad quem tanquam finem omnia referuntur.

4. Cōclu. Quarta conclusio. Sacra Theologia multo magis sibi ceteras scientias subalternat, quam Metaphysica. Probatio. Illa scientia, quæ id quod est optimum in entibus attingit, ceteras sibi scientias subalternat, & eas quasi in ditione tenet: illa igitur scientia quæ illud optimum magis attingit magis sibi ceteras scientias subalternat: atqui theologia illud optimum magis attingit, quam Metaphysica, magis igitur sibi ceteras scientias subalternat, magisq; eas in ditione tenet, quam Metaphysice: imo vero ipsa Metaphysice huic sacre ac diuinæ scientiæ ancillatur.

Egidius. Vide Egidium. q. 2. prol. ar. 3.

REFUTATIO CONCLUSIO.

Prima conclusio hoc argumento refutatur. Scientia quæ tradit causam, eorum, quæ in altera scientia tractantur, subalternat sibi illam primo illo subalternationis modo: at sacra theologia est huiusmodi, est enim de Deo qui est causa rerum omnium, quæ in alijs scientiis tractantur: sequitur igitur ut alias sibi scientias primo illo subalternationis genere subalternet.

1. ARG.

Tertia conclusio hoc argumento improbat. Ad hoc ipsum, nempe quod aliqua scientia id quod est in toto genere optimum, attingat: duo consequuntur, & quod illa scientia ceteris omnibus antecellat, earumq; ministerio, & obsequio utatur: & quod principia illarum omnium expendat, explanet, atq; confirmet, id quod cernitur in Metaphysica. Etenim & ceteris omnibus scientiis humano studio inuentis præsidet, & principia omnium declarat, atq; confirmat: at Theologia tametsi omnibus scientiis tanquā domina præsideat, eorumq; obsequio, & ministerio utatur, principia tamen ipsarum minime declarat, atq; confirmat: igitur easdem sibi primo subalternationis genere minime subalternat.

ARG. 2.

DILVTIO ARGUMENT.

AD primum. Ad illum subalternationis modum, non sufficit ut scientia tradat causam eorum, quæ in altera scientia tractantur, sed ut tradat illam causam secundum modum rationis, qui modus in eo consistit, ut ignotum discursu syllogistico ex ijs quæ nota sunt, & perfecta colligatur, & quod inferior scientia illam causam præsupponat: at non sic sacra Theologia est affecta ad scientias humanas, & ideo scientiæ humanæ non sunt eidem subalternatæ illo subalternationis modo, sed solum primo modo, quatenus scilicet fines aliarum scientiarum sub obiecto sacre theologie continentur, ac proinde

Ad. 1.

Ad.

scie
dici
com
nis,
spe
ex
to.

inde sciētia humanæ omnes sub ea, quasi ancillæ sub domina continentur.

Ad. 2.

Ad secundum respondetur illa duo competere scientiæ attingenti optimum secundum ordinem rationis, iam vero sacra theologia attingit optimum secundum revelationem. Quæ igitur attingit optimum cæteris scientijs antecellit, eisdemq; tanquam domina ancillis præ est, earumq; ministerio, & obsequio utitur, quatenus vero illud optimum attingit revelationis modo, & non secundum rationis ordinem, fit ut aliarum scientiarum principia neq; probet, neq; declaret.

QVÆSTIO
DECIMA PROLOGI.

Utrum sacra theologia sit communis, an specialis scientia?



Nitio notādū de sentētia eruditissimi Egidij 1. q. prologi, ar. 2. scientiam dici cōmunē, & speciale ex obiecto ut scilicet illa sit, & di-

catur scientia communis, quæ versatur circa obiectum cōmune, illudq; considerat quatenus cōmune quidam, & vniuersale est: illa vero specialis quæ habet obiectum speciale, illudq; spectat, quatenus speciale est.

Porro scientiam dici cōmunem & specialem ex obiecto ex eo intelligitur quia scientia ex obiecto consequitur diuersitatem, & differentiam, quemadmodum & esse, & speciē: iam autem vniuersale, & particulare, siue cōmune, & speciale efficiunt essentialē differentiam in scientijs: unde & Aristoteles hoc nomine. 4. Metaphy. Ipsam metaphysicem à cæteris scientijs secernit. Unde fit ut scientia ex re obiecta vniuersalitatē, & particularitatem, consequatur. ¶ Subijciuntur ergo duæ conclusiones,

Prima conclusio. Sacra Theologia est scientia specialissima, utpote cuius primum obiectum, quod est Deus est maxime ac summum, est siquidem vniuersitate reali simplicissima, & non rationis, igitur etc.

1. Cōclusio Theolog. est scientia specialissima.

Secunda conclusio. Sacra Theologia modo aliquo est scientia vniuersalissima, utpote quia ad plura in propria forma se extendat, quam cæterarum scientiarum quæq; ad plura inquam obiecta secundaria, quæ in cæteris scientijs sparsim considerantur: igitur etc.

2. Cōclusio Theolog. quodammodo est scientia vniuersalissima.

REFUTATIO SECUNDÆ
Conclusionis.

NON possunt esse duæ scientiæ communes: atqui Metaphysice in scientijs est communis: non est igitur quod ponatur theologia scientia communis.

1. Arg.

Præterea, scientia communis probat atq; confirmat principia aliarum scientiarum: at hoc non præstat Theologia: non est igitur scientia communis.

2. Arg.

DILVTIO ARGUMENTO.

AD primum. Non possunt esse duæ scientiæ communes, quarum quæq; sit simpliciter communis: esse tamen possunt duæ scientiæ communes, quarum vna est simpliciter communis, altera vero quodammodo, & secundum quid. Hoc modo se habent Metaphysice, & Theologia.

Ad. 1.

Ad secundum. Illud est proprium scientiæ communis simpliciter, cuiusmodi est Metaphysice, utpote cuius adæquatū obiectum sit communissimum, nēpe ens. At sacra Theologia est scientia cōmunis quodammodo, utpote cuius obiectum primum sit maxime vnum, uti exposuimus.

Ad. 2.

Hæc vero quo magis, ac melius intelligentur, annotanda sunt quatuor inter sacram Theologiam, & cæteras scientias humano ingenio inuentas discrimina. Primum igitur discrimen est, quoniam cæteræ scientiæ humano sunt ingenio, &

Explicatur quatuor iter theologiæ & cæteras scientias discrimina.

scientia dicitur communis, aut specialis ex obiecto.

QVÆSTIO VNDECIMA.

studio repertæ, at sacra Theologia diuinitus tradita est, ac mentibus hominum inspirata, iuxta illud. 1. Pet. 1. Spiritu Sãcto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

Secundo differunt, quoniam humanæ scientiæ versantur aut circa sensibilia, vt phycæ disciplinæ: aut circa ea quæ in sensibilibus reperiuntur, vt Mathematicæ scientiæ, vel certe sensibilia habent rei subiectæ partem, ceu Metaphysicæ. Namq; omnis nostra cognitio ministerio sensuũ comparatur, ac proinde omnis scientia nostra essentialẽ habet ad res sensiles comparisonem. At in sacra doctrina Dei cognitio potissimum expetitur, & ad hãc eius cognitionem aliarum rerum omniũ & tractatio, & cognitio refertur. Quemadmodum enim diuina sapientia pro obiecto principali habet seipsam, Deus enim seipsum per se primo intelligit, cætera vero alia perse secundo, & in seipso cognoscit: ita etiam sacra Theologia habet pro obiecto principali ipsum Deum, & ipsius cognoscendi gratia cæterorum omnium in sacra pagina cognitio quæritur.

Tertio differunt, quoniam res subiecta scientijs humanis est vniuersalis, nam Aristotele teste. 7. Metaphy. particulariũ neq; scientia est, neq; definitio, at res subiecta diuinæ Theologiæ, neq; vniuersalis, neq; particularis est, vtpote quia sit ipse Deus.

Quarto differunt, quia scientiarum humanarũ nulla tot in propria forma attingit obiecta. Nã cũ cæteræ scientiæ vniuersale perse primo spectent, fit vt particularia sub illo comprehensa considerent, non quoad ea, quæ ipsis conueniunt, quatenus particularia sunt, sed quoad ea, quæ ipsis competunt, quatenus in vniuersali coeũt, atq; vniuntur. At sacra hæc, ac diuina doctrina, tametsi Deum ipsum tanquam primarium obiectum spectet, cætera tamen alia, quæ singulæ scientiæ considerat, sub propria forma cõsiderat, id quod ex eo prouenit, quia hæc sanctissima di-

sciplina diuinam imitatur. Deus enim seipsum primo, deinde cætera alia sub propria forma, in se ipso tamen intelligit, atq; cognoscit.

QVÆSTIO VNDECIMA PROLOGI.

¶ Vtrum præter scientias humano ingenio repertas fuerit necessaria hæc diuinitus tradita, et in spirata doctrina?



Notandum duo esse rerum diuinarũ genera. Vnum genus est earum rerum, quæ humani ingenij, & naturalis rationis vi, possunt cognosci de Deo, vt Deũ esse, Deum esse vnum, Deum esse summũ, ac perfectissimum in entibus. Alterum genus est earum rerum, quæ nulla humani ingenij vi de Deo possunt inuestigari, atq; cognosci, sed sola diuina reuelatione possunt hominibus innotescere, vt Deum esse trinum, & vnum, & in diuinis esse productiones. Hæc siquidem captum humanæ rationis excedunt.

Notandum secundo sacram doctrinã posse accipi duobus modis, vno modo pro aggregato ex principijs, & ex cõclusionibus, quæ inde colliguntur. Altero modo pro solis principijs, & sacri canonis testimonijs. Illud genus prius dicitur Theologia acquisita, hoc posterius reuelata.

Tertio notandum, necessarium dici duobus modis, vno modo absolute, altero modo ad finem, idq; vel simpliciter, cum scilicet sine eo finis obrineri non potest, vt animalis vita sine respiratione, vel secundum quid, cum scilicet sine eo obrineri finis potest, non tamen ita cõmode. Hoc modo equus necessarius est ad faciendum iter. His in hunc modũ constitutis,

Duo genera rerum de Deo cognobilium.

Theologia acquisita: Theologia reuelata.

Necessarium duplex.

titutis, iam nonnullæ sub ijciantur con-
clusiones.

1. Cōclu.

Prima conclusio. Doctrina reuelata, quoad ea, quæ sunt de Deo naturaliter cognobilia, non fuit simpliciter, ex parte tamen fuit necessaria. Prior huius cōclusionis pars ex eo liquet, quoniam illarū rerum cognitio sine tali doctrina potuit haberi, ut quæ humano ingenio potuerit comparari. Posterior vero conclusionis pars ex eo intelligitur, quoniam illarum rerum cognitio tametsi humano ingenio, & studio parari potuerit, nontamē ita cōmode, atq; per diuinam reuelationem, per quam cōmunius, certius, & verius ad diuinarum rerum cognitionē peruenitur: cōmunius quidem, quoniam quæ de Deo naturaliter cognosci possunt, non omnibus sunt cognita, sed multo tempore, & labore philosophis innotuerunt. Certius, quoniam cognitio diuinitus tradita omnem omnino dubitationem excludit. Verius postremo, quoniam sacra doctrina infallibilem veritatem continet, ut quæ diuinis testimonijs innitatur. D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 1.

Thomas.

2. Cōclu.

Secunda cōclusio, Sacra doctrina quoad ea quæ excedunt captum rationis fuit simpliciter necessaria. Probatio. Illa cognitio est homini simpliciter necessaria, quæ valet ad sempiternam salutem consequendam: at earum rerum, quæ captum humanæ rationis excedunt, cognitio valet ad sempiternam salutem consequendam: ea igitur fuit homini simpliciter necessaria, cumq; via rationis, & naturæ haberi illa cognitio nullo modo potuerit: sequitur fuisse necessarium, ut homini per reuelationem traderetur. Maior propositio nota est. Minor patet ex ultimo hominis fine, cuius cognito est homini simpliciter ad salutem necessaria, & tamen haberi huiusmodi cognitio nisi sola reuelatione potest, iuxta illud Isaiaë, Oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti diligentibus te. Porro esse homini simpliciter necessariā cognitionem finis ultimi

ad salutem consequendam, hinc ostenditur. Agenti propter finem, consequendum propria actione, & intentione, necesse est finem illum esse cognitum, atq; compertum, quo actiones suas, & consilia in finem illum dirigat: atqui homini finis est propositus ut assequendus propria intentione, & actione, cognitio igitur ultimi finis est homini simpliciter necessaria ad salutem. D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 1.

Tertia conclusio. Theologia reuelata, quod attinet ad articulos fidei, est homini necessaria ad salutem. Nam Theologia reuelata non distinguitur a fide, at fides est homini necessaria ad salutem, dicitur enim Mar. ultimo, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, sequitur igitur Theologiam reuelatam esse homini necessariam ad salutem.

3. Cōclu.

Quarta conclusio. Theologia prout importat habitum deductiuum ex articulis fidei, licet non sit cuiuslibet homini christiano necessaria ad salutem, fuit tamen ad salutem necessaria, quatenus tali habitu cum explanantur quæ ad fidem pertinent, tum ab hæreticorum calumnijs vindicantur. Vndem fuit sume necessarium talem habitum in Ecclesia reperiri, in ijs videlicet quorum munus est sacra, & diuina misteria aperire, eaq; tueri contra hæreticos, ac summa contentione defendere.

4. Cōclu.

REFUTATIO CONCLUSI.

DE secunda conclusione, deq; ipsius fundamento dubitatur. Ac de conclusione quidem nobis est cum philosophis disceptatio, qui ut Scotus author est 1. q. prolog. perfectioni naturali plurimū tribuunt, supernaturalem vero perfectionem omnino repudiant. Quocirca non esse doctrinam a liquam diuinitus inspiratam, præter disciplinas humano ingenio repertas, requirendam, his argumentis ostendunt.

Scotus.

Philosophi naturali perfectioni plurimū tribuunt.

Pri.

1. ARG.

Primū sic argumentantur. Homo pro statu viæ potest vi naturalis luminis omnem sibi necessariam cognitionem comparare: non indiget ergo aliqua alia cognitione reuelata. Consecutio firmissima est, antecedens ostenditur.

Actiuo ad passiuum applicato, summotis impedimentis, continuo consequitur actio: at effectiuum omnium in esse cognito est intellectus agens, receptiuum vero omnis cognitionis est intellectus possibilis, vt docet Arist. 3. de anima, quæ ipsa insunt in anima, neq; vlllo impedimento quominus actiones suas obeant, distinentur: relinquatur igitur omnē pro statu viæ homini necessariam cognitionē horum vi posse comparari.

2. ARG.

Secundo. In anima nostra inest vis quædam passiuæ naturalis, & receptiuæ cuiuslibet cognobilis cognitionis: igitur & in eadē anima insit oportet vis altera actiuæ naturalis, quæ rei cuiusq; cognobilis cognitionē & efficiat, & inducat. Cōsecutio firma est, nam nulla est vis, & facultas passiuæ naturalis, cui non respondeat vis altera actiuæ naturalis, perquam illa potentia ad actum traducatur, alioqui superuacanea esset illa potentia passiuæ. Antecedens probatur. Potentia passiuæ naturalis, receptiuæ alicuius actus est illa, quæ & est capax illius actus, & ad illū actū naturaliter inclinatur: at potētia intellectiuæ hominis, & est capax cuiuslibet cognitionis, & ad illā, ceu ad propriam perfectionem naturaliter inclinatur, vnde est illud ab Arist. 1. Metaphy. dictum, omnis homo scire desiderat: relinquatur esse in anima nostra vim quandam receptiuam naturalem cuiuslibet cognobilis cognitionis.

3. ARG.

Tertio. Quæ ad humanarum, diuinarumq; rerum cognitionem, quæq; ad bene, beateq; viuendum pertinent, omnia humanis sunt artibus, ac scientijs comprehensa. Namq; Metaphysicæ res diuinas tractat, Physicæ vero rerum naturalium causas, vires, & motiones exponit.

Ethice bene viuendi rationem tradit: nō est igitur quod disciplina aliqua alia diuinitus reuelata requiratur.

4. ARG.

De fundamento etiam conclusionis dubitatur. Nam si alicuius rei gratia supernaturalis hæc scientia requireretur, ob id maxime requireretur, vt esset homini suus vltimus finis compertus, ad quem omnes actiones suas referre deberet: at hic finis naturaliter est cognobilis: non est igitur quod eius cognoscendi gratia, doctrina reuelata requiratur. Minor ostenditur cum auctoritate, tum ratione. Ac auctoritas est Augustini in libro de prædestinatione sanctorum, quo loco ait. Posse habere fidem, quemadmodum posse habere caritatem naturæ est hominum: habere autem fidem, sicut habere charitatē gratiæ est fidelium. Iam ergo sic licet argumentari. Natura hominis pro statu viæ est homini naturaliter cognobilis, igitur & facultas, ac vis omnis hominis naturalis: sed aptitudo ad vltimum finem est homini naturalis: cognita igitur & perfecta natura animæ nostræ, illa aptitudo potest cognosci, & ex ordine huiusmodi potest ille finis facile concludi.

Ratione vero illud ipsum sic ostenditur. Finis cuiusq; potentia est optimum quodq; quod sub adæquato illius potentia obiecto continetur, in eo siquidem posita est illius potentia perfectio: at primū & adæquatum obiectum nostri intellectus est ens, & optimum, quod continetur sub ente, est Deus: finis igitur vltimus nostri intellectus est ipsius Dei cognitio, atq; contemplatio. Maior, & Minor huius discursus naturaliter cognoscuntur: igitur & conclusio.

5. ARG.

Præterea, anima nostra naturaliter appetit illum finem, igitur naturaliter ordinatur ad illum finem: igitur cognita natura ad illum finem ordinata, ex ordine huiusmodi ille etiam finis potest innotescere.

DILVTIO ARGVMENT.

Ad

Ad 1.

AD primum, negatur antecedens. Ad probationem vero dicitur, intellectū possibilem pro statu viæ esse natum moveri ab intellectu agente, & phantasmate, siue ab obiecto prout relucet in phantasmate, ex quo fit vt illarum rerum cognitio sit homini pro statu viæ possibilis, quæ vi ac facultate horum agentium comparari pōt, cuiusmodi sunt sensibilia, & quæ in ipsis essentialiter, & virtualiter includuntur: iam vero multa sunt obiecta cognoscibilia, quæ non cadunt sub sensum.

nem perducere. Iam autem illa potentia est frustra, quæ vi nulla pōt ad actum traduci.

Tertium argumentum diluitur duobus modis, vno modo negata consecutione. Nam eadem ipsa quæ sunt humanis in scientijs tradita, sub alia, eaq; certiore docendi ratione in diuinis literis traduntur: est autem ea diuina reuelatio. Ita fit vt non sit superuacanea sacra doctrina. Altero modo diluitur, & melius, negato antecedente. Namq; multa, eaq; ad salutem necessaria diuinis literis traduntur, quæ humanis literis non sunt tradita, id quod prouenit ex ipsa diuersa ratione cognoscendi. Nam cum diuersa cognoscendi ratione semper est coniuncta diuersitas obiectorum cognoscibilium. Adde, inquit Scotus i. q. prolog. quia etsi de Deo agatur in scientijs humano ingenio repertis, non tamen quoad ea quæ diuinitatis sunt ppria hoc est, nō cōmunia Deo cum criaturis, veluti Deum esse Trinum, & vnum, quorum tamen cognitio ad salutem est necessaria.

Ad. 3a

In scientijs humanis de deo agitur, non tamen quoad ea, quæ dei sunt propria.

Ad. 2.

Potentia receptiua actuum supernaturalium in nobis, non est naturalis sed obedientialis.

Ad secundum, negatur antecedens. Nam potentia in nobis receptiua actuum supernaturalium, non est naturalis, sed obedientialis. Ad probationem vero antecedentis, negatur minor. Nam intellectus hominis ad illam solam cognitionem naturaliter inclinatur, quam potest consequi viribus naturæ. At est aliquod cognoscibile cuius cognitio vim omnem superat naturæ, neq; pōt homini nisi supernaturaliter innotescere, ad huius igitur obiecti cognoscibilis cognitionem intellectus hominis minime naturaliter inclinatur. Maior ex eo patet, quia naturæ inclinatio non excedit limites naturæ. Ac hæc huius argumenti responsio consentanea est doctrinæ D. Thomæ. Cæterum accommodate ad doctrinam Scoti. i. q. prol. respondetur negatione consequentiæ. Ad probationem vero dicitur, quod quamuis illa potentia receptiua naturalis non possit traduci in actum per agens naturale, pōt tamen traduci in actum vi agentis in natura, hoc est, in vniuersa entium coordinatione, quale est agens supernaturale. Ita fit, vt cuilibet potentiæ receptiue vis altera actiua respondeat, quæ vel agat vi naturæ, vel in natura. Vnde illa potentia non est frustra, vt quæ reduci in actum possit, sin minus per agens naturale, certe per agens supernaturale. Id quod ad summam hominis excellentiam pertinet, qui ad recipiendam perfectionem naturaliter ordinatur a deo excellentem, vt ad illam tota vis naturæ non possit homi-

Quod vero ad infirmationem fundamenti attinet, omnino negamus Deum prout est obiectum supernaturalis beatitudinis esse à nobis pro statu viæ naturaliter cognoscibilem. Ad probationem vero sumptam ex auctoritate Augustini, dicitur naturam animæ nostræ esse pro statu viæ à nobis cognoscibilem, non quidem secundum rationem propriam, & quiditatuam, sed secundum rationes generales, & communes sibi cum rebus sensibilibus, puta quod sit ens, & substantia, secundum quas rationes homo non ordinatur ad vltimum finem, tanquam ab illo beatificabilis, alioqui qualibet substantia ordinaretur ad vltimum finem, tanquam ab illo beatificabilis. Cum igitur illa ratio, perquam homo ordinatur ad vltimum finem, sit specialis, & propria, anima autem nostra non possit pro statu viæ sub propria ratione cognosci, sequitur vt non possit etiam cognosci sub illa ratione speciali, qua ordi-

Ad. 4a

illa ratio perquam homo ordinatur ad vltimum finem est specialis, ex quo fit vt anima nostra pro statu viæ non possit cognosci sub illa ratione.

natur

Cuilibet potentiæ receptiue respondet vis altera actiua quæ vel agat vi naturæ, vel in natura.

natur ad vltimum finem tāquam attingibilem per propriam operationem.

Obiectio Obijci contra pōt. Anima separata se ipsam perfecte cognoscit, igitur sub propria ratione, ac proinde sub illa ratione speciali, qua ordinatur ad vltimum finem ac proinde & terminum talis dependentiae cognoscit.

Item Angelus se, & animam nostram perfectissime cognoscit, igitur & omnē ipsius naturalem aptitudinem, ac propensionem, ac proinde & terminum illius propensionis. Respondet Scotus illam aptitudinem, siue ordinabilitatem formaliter importare relationem, cumq; relatio non solum pendeat a fundamento, verum etiā a termino, sequitur vt nulla relatio possit distincte cognosci, nisi praecognito termino: at Deus sub ea ratione, qua est finis vltimus attingibilis per operationem creaturae, non pōt naturaliter cognosci, igitur neq; relatio ad ipsum terminata: quāquāuis sit idem, quod anima sic affecta, formaliter tamen ab ipsa distinguitur. Hinc iam patet vtriusq; obiectionis dilutio.

Non est humana ratione inuestigabile, quo pacto illud ens perfectissimū qd est Deus sit quietatiuum nostri intellectus Ad probationem vero sumptam ex ratione respondetur, vi naturalis rationis perspicitur, & cognosci posse Deum esse finē nostri intellectus vltimū, eiusdemq; quietatiuum, non tamen inuestigari humana ratione pōt quo pacto illud ens perfectissimū in quo intellectus hominis conquietescit, sit quietatiuum nostri intellectus: an scilicet vt obiectum cognitionis intuitiuae, an potius vt obiectum cognitionis abstractiuae. Nam quauis notitia intuitiua sit perfectior abstractiua, non tamen naturaliter sciri potest, vtrum illa notitia Dei intuitiua sit creato intellectui possibilis, propter excessum obiecti supra potentiam. Nam vt ait Arist. intellectus noster se habet ad manifestatissimam naturā, sicut

oculus noctuae ad lumen solis. Vnde ex hac ratione moti sunt quidam, vt negarēt Deum posse ab homine per essentiam videri, vt docet D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 1.

Thomas

Ad quintum respondetur, quod quauis ordinabilitas ad talem finem, sit illud ipsum secundum rem, quod natura sic ordinata, vel inclinata, distinguitur tamen ab illa formaliter, ac proinde contingit ipsam naturam cognitam haberi, interim tamen illam rationem, per quam ordinatur ad vltimum finem ignorari.

Si dicas, cognitio effectis pōt et causa cognosci, sed Deus prout est vltimus finis animae nostrae est causa animae nostrae in genere finis, igitur cognita natura animae nostrae, pōt et ille finis cognosci. Respondetur, Deum dici finem creaturae duobus modis, vno modo vt causam finalem, altero modo vt obiectum beatitudinis attingibile per propriae creaturae operationē. Priori modo Deus est finis omnium rerum, quandoquidem omnia propter semetipsum procreauerit altissimus. Posteriori vero modo est finis creaturae duntaxat rationalis, nempe cum ipsius actione solum possit attingi. Deus igitur sub ratione finis priori modo accepti pōt cognosci cognitio effectis, non tamen sub ratione finis accepti posteriori modo: siquidem natura & vis animae nostrae non possit cognosci sub illa speciali ratione, qua ordinatur ad vltimum finem attingibilem per propriam operationem. Reuelata igitur doctrina opus fuit, vt ille finis, prout est obiectum beatitudinis, propria actione comparabilis, homini innotesceret, quo suas ad illum finem cogitationes, consilia, ac deniq; actiones referre, ac dirigere posset. Ac de necessitate sacrae doctrinae, deq; ceteris ad praefationem attinentibus questionibus, hactenus.

Obiectio

Respō.

Prou. 16

Deus est finis creaturae aut vt causa finalis, aut vt beatitudo creaturae.

● DISTINCTIO ●

PRIMA, DE FRVITIONE ET

FRVIBILI, DE VSV, DE QVE
EO, QVOD SVB VSVM CADIT.

● Resolutio primæ distinctionis Magistri. ●

● Prima Magistri distinctio quinque conclu-
siones complectitur.



P R I M A C O N
clusio. Sacrae pagine
uniuersus tractatus
circa res, et signa po-
tissimū versatur. Pro-
batur authoritate Augustini. 1. de doctri-
na christiana libro. cap. 2.

Secunda conclusio. Rerum alie sunt,
quibus fruendum est, alie quibus utēdū,
alie vero quæ fruuntur et utuntur.
Probatur authoritate Augustini eodem
libro cap. 3.

Tertia conclusio. Res, quibus fruē-
dum est, sunt pater, filius, et spiritus
sanctus. Præbatio. Res, quibus fruendū
est, sunt illæ quæ nos beatos efficiunt: at
sola Trinitas, pater, filius, et Spiritus
sanctus nos beatos efficit: igitur. et c.

Præterea, frui est amore alicui rei in hæ-
rere propter se ipsam: at soli Deo est sic amo-
re inherendum: igitur solo Deo est fru-
endum.

Quarta cōclusio. Omnibus alijs a Deo
utēdum est. Præbatio. Utimur ijs rebus,
quibus tendentes ad beatitudinem adiu-
uamur, et quasi adminiculamur, ut au-
thor est Augustinus lib. 1. de doctri-

na christiana cap. 3. Sed rebus omnibus
alijs a Deo ad beatitudinem consequen-
dam adiuuamur: igitur. et c. Item, uti
est id, quod in usum venit, referre ad
id obtinendum, quo fruendum est: at om-
ne aliud a Deo rescribibile est ad id quo
fruendum est: igitur omni alio a Deo
utendum est. Maior, et minor probā-
tur authoritate Augustini.

Quinta conclusio. Res quæ fruuntur,
et utuntur, nos sumus et Angeli Sæcti.
Interim mouet Magister aliquot quæsti-
unculas.

Prima quæstio. Vtrum in hac vita
fruamur Deo? Respondet cum Au-
gustino. Homines cum in hoc seculo, tum
in futuro Deo frui: sed in futuro quidē,
proprie, perfecte, et plene: in presenti ve-
ro seculo imperfecte, et nō plene. Ibi enim
in re obtinetur id quo fruimur: hic ve-
ro solum in spe, vel etiam in re, imper-
fecte tamen, et inchoate.

Secunda quæstio. Vtrum sit homini-
bus fruendum, an utendum? Respon-
det cum Augustino, Hominiibus vere et
proprie esse utendum, non fruendum:
ut qui non propter se, sed propter Deum

sint diligendi. Est tamen illis fruendum in domino: sic enim Deo potius fruimur, quam homine. Probat authoritatibus Augustini.

Tercia questio. Vtrum virtutibus sit fruendum, an utendum? Tractata questione in partes contrarias, tandem resoluit Magister virtutibus esse utendum, non fruendum, utpote quia non sic expetenda sunt, ut in illis, tanquam in fine ultimo rerum expetendarum sistatur, sed praeterea sint referenda ad illud summum bonum obtinendum, cui soli propter se amore inherendum est, et in quo solo permanendum, et finis letitiae ponendus, ac locandus est. Hoc autem summum bonum, Deus est.

Quarta questio. Vtrum Deus fruatur, an potius nobis utatur? Respondet Magister, Deum uti nobis, non frui. Id probat authoritatibus magni Augustini. Interim notat discrimen inter usum quo Deus utitur nobis, et quoniam utimur alijs rebus a Deo. Omnia patent in textu. Hec est huius Distinctionis resolutio.

QVÆSTIO. I.

Vtrum fruitio sit actus voluntatis?

Conclusio vnica.

Augusti.

PRO explicatione questionis ponitur vnica conclusio, quae est huiusmodi. Fruitio est actus voluntatis. Probatio. Authore Augustino libro. 1. de doctrina Christiana cap. 4. Frui est amore alicui rei inherere propter se ipsam: at amor est operatio voluntatis: igitur fruitio est operatio voluntatis.

Præterea, eiusdem potentiae est in propositum finem tendere, & in ipso iam ade-

pto conquiescere: at ad propositum finem tendere, est operatio voluntatis propria: ad eandem igitur pertinet in eodem conquiescere: At fruitiois nomine hac conquiescentia importatur, ut ait idem August. 10. de Trinit. cap. 10. Fruimur cognitis, quibus voluntas delectata conquiescit: igitur &c. Hæc conclusio est omnium Theologorum nempe D. Thomæ 1. 2. q. 1. ar. 1. Egidij. 1. 2. q. 1. ar. 1. Durandi. 1. 2. q. 1. Bonauent. 1. d. 1. questione. 2. ar. 1. Scot. 1. d. 1. q. 3. Gab. 1. d. 1. q. 2. ar. 2. conclu. 1. Gregorij. 1. d. 1. q. 2. ar. 3.

Augusti.

Thomas Egicius, Bonauent. Durandus, Scotus, Gabriel, Gregorius

REFUTATIO CONCLUSIO.

HÆC conclusio his argumentis refutatur. Si fruitio est operatio voluntatis, sit necesse est aut operatio elicita, aut imperata: neutra est: non elicita, namque operatio elicita a voluntate est volitio, quae non semper est fruitio: non imperata, quia huiusmodi actio alterius facultatis est a voluntate: non est igitur operatio voluntatis.

1. Argu.

Secundo. Fruitio est actus intellectus: non est igitur actus voluntatis. Consecutio firma est, siquidem voluntas, & intellectus sunt duae potentiae re ipsa distinctae. Antecedens ostenditur. Quemadmodum se habet fruitio circa obiecta sensibilia, sic se habet fruitio circa supremum illud obiectum intelligibile: atqui fruitio circa obiecta sensibilia non est actus elicitus a voluntate, sed est actus cuiuslibet sensus imperante voluntate: igitur & fruitio obiecti intelligibilis, quod est Deus, non est actus elicitus a voluntate, sed ab intellectu, imperante nihilominus voluntate. Minor probatur. Homo fruitur cibo per gustum, fruitur pulchro per visum, odore per olfactum, sono suauis per auditum: igitur & Deo fruitur per intellectum, imperante voluntate. Ita fruitio non est actus immediate elicitus a voluntate, sed ab intellectu quatenus ab ipsa voluntate imperatur: estque fruitio proinde aliud nihil, quam intellectio Dei amati.

2. Argu.

Ad 1.

Non est nis a elicito potens denotatur natur potens

3. argu. Tertio, Per actum illius potentiae fruitur voluntas aliquo bono, per cuius actum illud bonum apprehendit: nam quia voluntas per gustum apprehendit cibum, & per visum apprehendit pulchrum, idcirco per actiones elicitas ab illis potentijs fruitur illis bonis: at voluntas per visionem apprehendit Deum, utpote quia per visionem Deus ipse efficitur praesens voluntati: igitur ipsa voluntas per visionem fruitur ipso Deo: ac proinde visio est fruitio.

4. argu. Quarto, Fructio est praestantissima hominis operatio, utpote quia sit praestantissimi obiecti, nempe ultimi finis humanae vitae, siue Dei ut obiecti beatifici: at praestantissima operatio est praestantissimae potentiae: praestantissima autem potentia est intellectus: fruitio igitur est operatio elicita ab intellectu: non igitur a voluntate.

5. argu. Postremo. Videtur quod fruitio nullius potentiae sit propria operatio, sed omnium facultatum actio. Etenim praemium respondet merito: sed homo meretur interuentu omnium facultatum: praemio igitur afficitur quoad omnes facultates: at praemium est ipsa fruitio: igitur fruitio est omnium facultatum operatio.

D I L U T I O A R G V M E N T .

Ad 1. **A**D primum respondetur, Fruitionem esse actum elicitem a voluntate: caeterum non omnis actio elicita a potentia denominationem sumit a potentia, sed ea solum quae ab eadem potentia absolute proficiscitur: secus si ab eadem potentia proficiscatur secundum ordinem ad facultatem alteram. Unde quia electio convenit voluntati sub ordine ad rationem, non denominatur ab ipsa voluntate: & quia scire competit intellectui supposito habitu principiorum, non denominatur ab intellectu. Quocirca cum fruitio conveniat voluntati interuentu habitus charitatis, non denominatur a voluntate. Egid. 1. 5. d. 1. q. 1. ad finem. ¶ Dicit etiam potest non incommode, fruitio nem esse actum voluntatis: non quidem imme-

Non omnis actus elicitus a potentia denominatur a potentia.

diatum, sed mediatum.

Quod vero attinet ad secundum, & tertium argumentum, notandum est Dñicū à Soto in 4. d. 49. q. 1. ar. 4. illis argumentis adductū tenere fruitionem esse actum elicitem ab intellectu, imperatum vero a voluntate, quod ipsum etiam D. Thomae auctoritate confirmat. Etenim D. Thom. de poten. q. 5. ar. 1. ad 15. ait, visionem Dei esse fruitionem. Item 1. 2. q. 11. ar. 1. ad 1. ait idē Thomas nihil esse incommodi eundē actū ad diuersas potentias pertinere, diuerso tamen modo. Unde visio Dei quatenus est actus elicitus ab intellectu, pertinet ad ipsum intellectum, quatenus vero ipsa eadē Dei visio est ultimi finis humanae vitae, pertinet ad voluntatem tanquam propriū ipsius obiectum: & ita eius est fruitio. Ex quo colligit Soto visionem Dei, quatenus imperatur a voluntate, esse fruitionem. Hanc eandē opinionem tenet Sotus super epistolam ad Rom. cap. 6.

Ad 2. & 3. Soto.

visio Dei est fruitio de mente Soti.

Nos dicimus hanc opinionem esse falsam cum in doctrina D. Thomae, tum in se. Est quidem falsa in doctrina D. Thomae, quoniam D. Thomas 1. 2. in introductione quaestionis octauae inter actus elicitos a voluntate ipsam etiam fruitionem enumerat. Est igitur de mente diui Thomae fruitio actus elicitus a voluntate. ¶ Idē idem Thomas eodem libro. q. 11. ar. 1. aperte dicit, fruitionem esse actum appetitiuae potentiae, id quod ex eo colligit, quia obiectum fruitionis, quod est ultimus finis, est obiectum potentiae appetitiuae, iam autem quemadmodum obiectum se habet ad potentiam sic etiam se habet ad actum: si igitur ultimus finis, qui est obiectum fruitionis est obiectum potentiae appetentis, sequitur omnino, ut ipsa fruitio sit etiam actus potentiae appetitiuae.

Soti opinio refutatur.

Occurrit tamen aduersarius inquiring, fruitionem esse actum potentiae appetitiuae, non tanquam ab ea elicitem, sed tanquam ab ea imperatum. Cui tamen nos respondemus hanc explicationem esse nullam. Nam si ultimus finis est obiectum

DIS T I N C T I O N I S P R I M A E

potentia appetitiva, sequitur necessario, ut
fruitio, qua mediante attingitur illud obie-
ctum, sit actus elicitus à potentia appetiti-
ua. Consequentia probatur, siquidem nulla
potentia attingit suum obiectum, nisi per
actum elicitum ab illa potentia: non enim
potentia visiva attingit colorem, nisi per
visionem elicitam à visu. Vnde si obiectum
fruitionis est obiectum voluntatis, & frui-
tio est ille actus, quo mediante attingitur
illud obiectum, sequitur omnino, ut fruitio
sit actus elicitus à voluntate. ¶ Præterea
D. Thomas loco supra citato ad primum
ait, quod visio Dei, quatenus est ultimus fi-
nis, est obiectum fruitionis: igitur visio nō
est fruitio. Conseq. patet, quoniam obiectum
actus antecedit ipsum actum. ¶ Item eo-
dem autore eodem loco, visio Dei quate-
nus est ultimus finis est obiectum volunta-
tis: namque visione Dei, seu potius Deo
viso fruitur voluntas: igitur fruitio est actus
elicitus à voluntate. Consecutio probatur,
quoniam omnis potentia attingit suum ob-
iectum per actum à se elicitum. ¶ Postre-
mo D. Thomas in eodem art. in corpore
quæstionis ait, fruitionē pertinere ad amo-
rem, & delectationem: sed amor & dele-
ctatio non eliciuntur ab intellectu, sed à vo-
luntate: igitur fruitio non est actus intelle-
ctus, sed voluntatis. Si dicas D. Thomas
in eodem articulo, in responsione ad primū
ait, visionem esse fruitionem. Sic enim ait,
visio in quantum est visio, est actus intelle-
ctus, in quantum vero est bonum, & finis
est obiectum voluntatis, & hoc modo est
eius fruitio: visio igitur est fruitio. Miror
hominem doctum non percepisse constru-
ctionem verborum D. Thomæ: non enim
dicit D. Thomas visionem esse fruitionē,
sed quod visionis sit fruitio, prout visio il-
la Dei habet rationem ultimi finis. Porro
visionis est fruitio sub hoc sensu, Deo viso
fruitur. Quæ de re disputabitur. q. 3. ita
Soti opinio falsa est in vniuersa D. Tho-
mæ doctrina.

Est etiam falsa simpliciter. Nam cuius
potentia est desiderium boni, eiusdem est

fruitio illius iam adepti: at desiderium bo-
ni est actus elicitus à voluntate: igitur &
illius iam adepti fruitio est actus à volunta-
te elicitus: at visio Dei iam præsentis est
actus elicitus ab intellectu: non est igitur
fruitio.

Præterea, visio Dei præponitur fruitioni:
igitur visio Dei non est fruitio. Consecu-
tio firma est, antecedens ostenditur. Frui-
tio est rei iam habitæ, quæque iam adest:
atqui Deus efficitur præsens beato per vi-
sionem, est enim visio Dei quædam ap-
prehensio: igitur visio Dei est quiddam
præsuppositum fruitioni.

Postremo potentia quæ mouet alias ad
consequendum aliquem finem etiam frui-
tur illo fine iam adepto, & consecuto per
actiones aliarum facultatum: at volun-
tas per actum à se elicitum mouet alias fa-
cultates ad consequendum finem: ipsa igitur
eadem per actum à se elicitum fruitur
illo bono adepto per actiones aliarum po-
tentiarum. Falsa est igitur in se Soti doctis-
simi sententia.

¶ Quo circa ad primum Soti argumentū,
negatur minor. Ad probationem vero cō-
ceditur, hominem videndo pulchrum frui
pulchro, nō tamen iam inde efficitur quod
visio sit fruitio. Nam fruitio est delectatio,
quam homo percipit de pulchro viso, at-
que conspecto: hæc tamen delectatio non
est visio, sed quiddam potius elicitum à
voluntate, & subiectiue existens in volun-
tate.

Obijci contra potest. Ipsemet intellectus
videndo delectatur: ergo visio est delecta-
tio, & per consequens est fruitio. ¶ Res-
pondetur duobus modis, vno modo, dele-
ctationē illam, quam capit intellectus Deū
videndo, non esse actum elicitum ab intel-
lectu, sed à potentia appetente, qui tamen
actus redundat in intellectum. Vnde illa
delectatio dici potest ipsius intellectus per
quandam redundantiam. Sic enim apud
Prophetam, caro dicitur exultare in Deo
per cordis lætitiā in corpus etiam homi-
nis sancti redundantem.

Dicitur

Obiectio

Gravissi-
ma Soti
reprehensio.

Ad pri-
mū Soti
motiuū.

Obiectio.

Respon-
sio prior.

responsio altera
Delectatio duplex, una quae est passio concomitans actionem, altera quae est actio elicita a potentia appetitiva, quae percipitur de obiecto actionis.

Dicitur altero modo, duplicem esse delectationem: unam quae concomitatur actionem: alteram, quae sequitur actionem. Interest autem plurimum inter utramque. Nam illa habet pro obiecto ipsam actionem, hac vero ipsum actionis obiectum. Vnde causa, cum visus videndo pulchrum delectatur, duplex ibi concurrit delectatio: una de visione pulchri, etenim visus videndo delectatur: altera de ipso pulchro, quod est obiectum visionis. Illa delectatio non est actus elicited, sed est passio concomitans actionem: hac vero est actus elicited, non quidem a potentia visiva, sed a potentia appetitiva, & subiective existens in ipsa. Cum igitur intellectus intelligendo delectatur, illa delectatio non est actio elicited ab intellectu, sed passio potius concomitans ipsum actum intelligendi. Quam delectationem natura facultatibus naturalibus attribuit in executione propriarum actionum, ut proprius & expeditius actiones suas naturales exequerentur.

Ad 2. soti moti- uum.

Ad secundum Soti argumentum, respondeatur negando maiorem. Nam quamvis mediante visione, per quam efficitur obiectum beatificum praesens intellectui, fruatur voluntas ipso obiecto beatifico apprehenso, non tamen fruitur per visionem, quasi ipsamet visio sit fruitio, sed per fruitionem, quae est actus elicited a voluntate, ipsa tamen visio est aliquid antecedens voluntatem.

Ad confirmationem vero sumptam ex autoritate D. Thomae, de poten. q. 5. art. 1. ad 15. argumentum, respondeatur nihil tale ibi dicere D. Thomam, sed hoc solum dicere, nempe beatitudinem creaturae rationalis esse fruitionem, id quod tu intellige non essentialiter, sed concomitanter, & consequenter. Vel certe quia fruitio includit visionem, & ipsam praequirat, ac supponit: dicens D. Thomas beatitudinem consistere in fruitione, non excludit visionem, imo potius includit.

Ad confirmationem vero sumptam ex autoritate D. Thomae. 12. q. 11. art. 1. ad primum, iam patet responsio ex supradictis.

Non enim dicit Thomas visionem esse fruitionem, sed visionis in quantum est bonum, & finis ultimus, esse fruitionem, id est, Dei visi esse fruitionem.

Ad quartum negatur maior. Nam praestantissima hominis actio ea est quae non solum versatur circa praestantissimum obiectum, verum etiam elicitur a praestantissima potentia: iam autem fruitio elicitur a voluntate, quae non est praestantissima potentia, ut sequenti quaestione docebimus.

Ad quintum respondetur, ceteras animi facultates, excepta voluntate, non proprie frui. Nam cum fruitio sit cognoscentis operatio circa ultimum finem, illarum duntaxat facultatum est fruitio, quae finem ultimum cognoscunt: cum igitur sola facultas animi ea, quae rationis est particeps finem extremum cognoscat, ceterae non item, cum sint materiales, efficitur, ut solius facultatis rationales sit fruitio: ceterarum vero facultatum minime. Gaudium tamen, & delectatio superioris facultatis ad inferiores usque permanabit, dicente Propheta, cor meum, & caro mea exultaverunt in Deo vivo. Significat sanctus vates, gaudium superioris partis ad inferiores etiam redundare. Ita fruitio formaliter & elicitive est partis appetentis: ceterarum vero animi facultatum, etiam non cognoscentium, per quandam redundantiam.

QVAESTIO. 2.

Utrum fruitio formaliter importet amorem, an delectationem potius?

Pro explicatione quaestionis est initio annotandum, fruitionis nomine tria contineri, nempe cognitionem rei quae sub fruitionem cadit, delectationem fruentis, & quandam animi conquietionem. Hac tria fruitionis nomine contineri aperte declaravit Augustinus 10. de Trin. lib. cap. 10. sic inquit. Fruimur cognitio, quibus voluntas delectata conquiescit. Idem 8. quaestionum, q. 33. sic ait. Frui dicimur ea re ex qua capimus voluptatem. Ex hac etiam sententia

Psal. 83. Fruitio formaliter & elicitive, solum est voluntatis, ceterarum vero potentiarum, per quandam redundantiam.

Fruitio nis nomine tria continentur, scilicet cognitio, delectatio, & conquietatio Augusti.

illa tria colliguntur. Namque nemo citra cognitionem delectatur. Unde 10. ethicor. Aristot. docuit, nonnullos existimasse delectationem aut esse sensum, aut intellectum, siquidem sine sensus aut intellectus perceptione, voluptas nulla caperetur: atqui delectatio & voluptas quies est quaedam, & motus vacuitas, & perfecta delectatio, perfecta quaedam est & integra animi conquietio: relinquatur igitur, ut fruitio sit perfecta cum animi quiete delectatio. Thom.

Aristoteles.

Thomas Durand.

12. q. 11. art. 3 Durand 1. 5. d. 1. q. 1.

Fruitio dicitur a fructu.

Postremo, fruitio dicitur a fructu: fructus vero est illud quod postremum ex arbore quadam cum voluptate percipitur, quo percepto nihil aliud praeterea expectatur, ex quo efficitur, ut fruitio sit cum animi quiete coniuncta delectatio. Tria ergo fruitio complectitur, scilicet, cognitionem, delectationem, & conquietionem.

Quoniam vero D. pater Augustinus non solum fruitionem delectationem esse dicit, verum etiam amorem, ita enim ait: Frui est amore alicui inharere propter se, iam versatur in quaestione, fruitionis nomine quid formaliter importetur, amor ne, an delectatio. Ponuntur ergo pro explicatione quaestionis tres conclusiones.

1. conclusio.

Prima conclusio. Fruitio formaliter est delectatio. Probatio. Fruitio nomine importatur (viti praenotauimus) quaedam in bono iam adepti conquietio: sed quies in bono est gaudium, & delectatio: igitur posita delectatione ponitur fruitio. Accedit ad confirmationem auctoritas Augustini, qui 10. de Trin. cap. 11. Frui esse dicit, vti cum gaudio. Ita usus rei gaudiosus est fruitio: est igitur fruitio formaliter delectatio. Hae assertio est D. Thomae 1. 5. d. 1. q. 1. art. 2. & 12. q. 25. ar. 2. Egidij 1. 5. d. 1. q. 1. Durandi. 1. d. 1. q. 1. Alfonsi. 1. d. 1. q. 1.

Augusti.

Thomas Egidius Durandus Alfonsus

2. conclusio.

Secunda conclusio. Fruitio est amor casualiter: & concomitanter. Prior conclusionis pars ostenditur. Amor rei concupitae efficit desiderium eiusdem, cum vero id quod expeditur, obtinetur, consequitur delectatio, quae est quaedam in bono iam adepti

Fruitio est amor casualiter.

conquietio: hoc ipsum autem est fruitio: igitur fruitio est amor rei fruibilis casualiter. Posterior pars ostenditur ex eo, quia quamuis amor reperitur citra delectationem: amore enim cōplectimur etiam absentia, iam vero delectatio non nisi de praesente bono percipitur: nunquam tamen reperitur delectatio sine amore. Non enim potest non amari quod delectat, neque delectare animū potest quod non amatur: omnem igitur fruitionem, quae usum importat rerum cum voluptate, concomitatur amor, & dilectio rei fruibilis.

Fruitio est amor concomitanter.

Non potest non amari quod delectat, neque delectare potest quod non amatur.

Non tamen omne quod amatur delectat.

Fruitio non est formaliter cognitio, prauiam tamen cognitionem requirit.

Tertia conclusio. Fruitio non est formaliter cognitio: cognitionem tamen prauiam requirit. Probatio prioris partis. Quod est formaliter, & essentialiter delectatio, non est formaliter, & essentialiter cognitio, nam cognitio & delectatio sunt duae actiones disparatae, & reipsa differetes: sed fruitio est formaliter, & essentialiter delectatio, ut patet ex supradictis: non est igitur formaliter, & essentialiter cognitio. Posterior pars ostenditur. Omni actioni voluntatis praepositur cognitio obiecti ad quod voluntatis actio terminatur: at fruitio est operatio voluntatis, ut iam expositum est: igitur fruitio prauiam requirit cognitionem obiecti fruibilis. Item fruitio est formaliter delectatio: sed delectatio requirit cognitionem obiecti delectabilis, usque adeo ut Arist. 10. ethicorum auctor sit, nonnullos existimasse, delectationem aut esse sensum, aut intellectum, eo quod sine sensus, aut intellectus apprehensione voluptas nulla perciperetur: igitur fruitio cognitionem praerequit obiecti fruibilis.

REFUTATIO CONCLUS.

Prima conclusio in hunc modum refutatur. Fruitio est formaliter amor: non est igitur formaliter delectatio. Antecedens patet ex Augusti. 1. de doctrina christiana cap. 4. dicente, frui nihil esse aliud, quam amore alicui inharere propter se. Cōsecutionis vero firmitas hinc ostenditur. Amare, & delectari sunt duae actiones voluntatis

1. Argu.

Augusti.

luntatis distincta: igitur si fruitio formaliter, & essentialiter est amor, fit, vt formaliter non sit delectatio. Ac amare, & delectari esse duas actiones voluntatis distinctas docet D. Thomas. 12 q. 26. art. 2. & q. 23 ar. 4. Quemadmodum enim, inquit, generans largitur corpori graui gravitatem, motum, & quietem, quae sunt distincta: ita etiam appetibile largitur appetitui amorem, qui est quadam animi inclinatio, & veluti quiddam pondus, iuxta illud Augustini. 11. de ciuitate Dei cap. 28. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur quocumque fertur. Tribuit etiam desiderium, quod significat quadam animi tendentiam, & motionem in rem amatam, largitur postremo delectationem, quae conquietio quadam est in bono iam adepto. Sunt igitur haec tria distincta, amor rei concupitae, desiderium, & delectatio.

Thomas.

Augusti.

Secundum;

Tertium

scotus. 4

s. d. 49.

q. 4.

Quartum.

Quintum.

Grego. 1.

d. 1. q. 2.

art. 2.

sexum.

Secundo, Fruitio adhaesionem quandam significat fruuentis ad rem fruibilem: at haec inhaesio est per amorem, etiam ante delectationem: igitur fruitio formaliter est amor: Tertio, Fruitio significat actum, delectatio vero significat passionem: igitur fruitio non est delectatio. Antecedens ostenditur, quia fruitio construitur grammatice cum ablativo significante obiectum ex vi transitionis: dicimus enim frui or Deo, quemadmodum amo Deum: igitur significat actum, non passionem.

Quarto Fruitio est praestantissima voluntatis operatio, sed delectatio non est praestantissima voluntatis operatio, sed amor. Namque delectatio proficiscitur ex amore, tanquam ex causa: igitur fruitio non est delectatio formaliter, sed amor.

Postremo, Fruitio est delectatio: est igitur amor. Consecutio probatur, quoniam omnis delectatio est amor, et contra. Ans patet, quoniam amor est complacentia: At delectatio complacentiam quandam declarat in bono consecuto. Hoc argumento efficitur, fruitionem esse amorem quietatiuum, aut quietem delectationis.

Tertia conclusio quoad posteriorem sui partem sic improbat. Cognitio in fruitio-

ne ob id requiritur, vt fruibile praesentetur voluntati: sed hanc praesentationem potest Deus per se ipsum efficere: igitur citra operationem intellectus potest voluntas aliquid aut amare, aut aspernari. Minor ostenditur. Quidquid Deus potest efficere cum causa media effectiua potest Deus per se ipsum efficere immediatè, quippe cum Deus possit supplere omnem causalitatem causa mediae effectiuae: sed bonum, quod est motiuum voluntatis non requirit esse cognitum nisi vt moueat in genere causae efficientis: potest igitur Deus immediatè per seipsum supplere illam causalitatem. Probatur etiam secundo eadem minor. Deus potest facere quoddam representatiuum, quod perfectius representet appetibile ipsi voluntati, quam ipse actus intellectus, quo mediante potentia attingeret obiectum fruibile, sicut modo attingit mediante actu intellectus: igitur Deus citra actum intellectus potest praesentare obiectum fruibile ipsi voluntati.

Item, Quaecumque re absoluta distinguuntur, possunt per diuinam potentiam separari, & inuicem distrahi, ac seiungi: sed voluntas, & intellectus sunt huiusmodi: potest igitur Deus conseruare actum voluntatis, interim cohibita actione intellectus.

Praterea, Deus potest in nihilum redigere intellectum, interim manente in animi essentia ipsa voluntate. Iam quaero possitne Deus illam voluntatem mouere ad amandum, aut non: si potest, effectum est propositum: si non potest, igitur Deus potentiam alioqui dispositam ad operandum, non potest mouere & excitare ad actionem, etiam proposita re, ad quam actio illius potentiae terminetur, quod est absurdum: igitur fruitio non requirit necessario actionem intellectus prauiam.

Postremo, Deus est praesentior, & intimior voluntati, quam ipsa sibi: igitur per se ipsum immediatè potest mouere voluntatem. Ita iuxta hanc opinionem, & sententiam voluntas potest amare sublata actione intellectus: nunquam tamen dilectio, aut fruitio erit in voluntate, nisi obiectum

DISTINCTIONIS PRIMAE

fruibile fuerit presentatum voluntati, aut à potentia cognitiua intrinsecè inhaerente, aut ab eo qui possit vicem illius in proponendo, & presentando obiectum fruibile, supplere. Hac opinio est Thomae de Argentina. 1. 5. d. 1. art. 4. Quam etiam tenent alij, quos commemorat Alfonso. 1. d. 1. q. 4. art. 3. & 4.

Thomas Argentina

Alfonso & alij.

DISSOLVTIO ARGVMENTORVM.

Ad 1.

Horum argumentorum facilis est explicatio. Ad primum, negatur antecedens. Ad probationem verò sumptam ex Augustino dicimus, fruitionem esse inhaesionem per amorem, non formaliter, sed causaliter, & concomitanter, què admodum exposuimus in conclusione.

Ad 2. Fruitio adhaesio nem importat ad rem fruibile, formaliter quidem per delectationem, antecedenter vero, & concomitanter, per amorem.

Ad secundum, dicimus fruitionis nomine inhaesionem quandam voluntatis declarari ad rem fruibilem, sed hac inhaesio formaliter est gaudiosa, & laetitiae ac voluptatis: est autem inhaesio per amorem concomitanter, & antecedenter. Nam ante delectationem voluntas hominis inhaeret rei fruibili per amorem, ad postremum post adeptionem, & consecutionem illius, consequitur delectatio, quae semper habetur de obiecto presenti.

Ad 3.

Ad tertium respondetur, fruitionem esse delectationem, non eam quae est passio, sed eam quae est actio elicità à voluntate. Est autem delectatio passio, delectatio quae concomitatur quamlibet actionem naturalem, habens pro obiecto eandem actionem. Etenim facultates naturales exequuntur suas actiones cum delectatione. Nam visus videndo delectatur. At delectatio, quae est operatio, est actio elicità à voluntate habens pro obiecto non actionem ipsam, sed obiectum ipsius actionis. Videns enim non solum videndo, verum etiam de re visa delectatur. Fruitio ad hoc genus delectationis pertinet: ac proinde actionem significat, non passionem, siue proprietatem consequentem.

Fruitio est delectatio actio, non vero delectatio passio.

Ad 4.

Ad quartum negatur maior. Nam pra-

stantissima operatio est praestantissima facultatis: iam autem fruitio non est operatio praestantissimae facultatis, ut quae sit operatio voluntatis, voluntas autem non est praestantissima facultas. Intellectus enim est vis praestantior, ut qui sit directius voluntatis. ¶ Sunt qui putent oppositum, tum quia hominis beatitudo, quae in praestantissima hominis operatione consistit, in fruitione posita sit, tum quia voluntas, cuius operatio est fruitio, sit facultas animi suprema, & quia sit subiectum habitus praestantissimi, nempe caritatis, & quia ceteris animi facultatibus imperet.

Fruitio non est praestantissima hominis operatio.

scop 4. 5. d. 4. q. 4.

Nobis placet intellectum simpliciter antecellere voluntati, tum quia obiectum voluntatis, quod est bonum, sub obiecto voluntatis continetur, quod est ens, etenim bonum continetur sub ente: tum quia voluntas nunquam in rem sibi propositam tendit, nisi directà, & quasi manu intellectus ducta, & ab eodem regulata: id enim appetit voluntas, quod intellectus eidem proposuit appetendum: tum postremo quia obiectum intellectus est simplicius, quam obiectum voluntatis. Vide D. Thomam 12. q. 3. art. 4.

Intellectus simpliciter est praestantior voluntate.

Ex parte tamen, voluntas praecellit, quatenus scilicet mouet & imperat mouedo, omnes animi facultates, mouendo inquam ad exercitium. Haecenus siquidem voluntas praesidet vniuerso animi regno. Ex quo efficitur, ut merito negemus maiorem illam propositionem, nempe fruitionem esse praestantissimam hominis operationem. Quo circa ad priorem probationem dicimus, beatitudinem essentialiter in fruitione minime consistere. Nam fruitio formaliter est delectatio: at delectatio actum beatificum consequitur, non complet, neque constituit. Ad posteriorem vero probationem, negamus voluntatem esse praestantissimam potentiam, cum vero subiungitur, caritatem, quae voluntatem perficit, esse habitum praestantissimum, dicimus id esse verum in ijs habitibus qui hominem perficiunt pro statu viae, secus in habitibus simpliciter. Nam lumen

voluntas est praestantior secundum quid intellectu.

igitur in via caritatis est praestantior

Ad
Bon
dele
nisi
pra
ama
au
cu
R
tio
co
nis
tur

lumen gloriae perficiens intellectum comprehensoris praestantior habitus est, quam caritas, ut pote cuius interuentu homo magis vnum efficiatur cum Deo, quam interuentu caritatis. Est enim lumen gloriae diuini ordinis efficiens hominem Dei formem.

Ad 5. Ad quintum. Negatur consequentia. Namque amare, & delectari sunt duae actiones essentialiter diuersae, id quod ex eo vel maxime perspicitur, quia possunt inuicem seiungi. Etenim etsi quod delectat non possit non amari, certe quod amatur non necessario delectat. Nam bonum amatur antequam sit praesens amanti, non tamen amatur, nisi sit praesens vel actu reali, vel obiectiuo. Ita fit, ut delectatio non sit nisi de bono praesenti, quatenus praesens est, quam tamen praesentialitatem bonum minime requirit ut placeat. Nam bonum etiam cum non adest placet, & diligitur, non tamen delectat.

Refutatio tertiae conclusionis diluitur.
¶ Quod vero ad tertiae conclusionis refutationem attinet, notandum de re proposita duas extare hominum eruditorum sententias. Quibusdam visum est, posse fruitionem in voluntate esse formaliter, quam non antecessit vlla cognitio: non tamen inde consequi aiunt, ut voluntas fruatur re incognita, siquidem subtili euentu voluntas minime fruatur, quippe cum nulla res sit qua frui possit voluntas. Quemadmodum enim, inquiunt, Deus potest conseruare visionem in oculo, & tamen ille oculus non videat, quippe cum nulla res sit obiecta, quae conspiciatur: sic etiam Deus potest conseruare fruitionem in voluntate, & illa voluntas non fruatur, siquidem nulla sit res fruibilis obiecta, & proposita voluntati. Hoc persuadent, quia omne absolutum re ipsa distinctum ab altero potest per diuinam potentiam ab eo seiungi, a quo distinguitur: sed visio re ipsa distinguitur a re visa, & ab ea nullo genere causa dependet: potest igitur diuina vis efficere, ut visio sit formaliter in oculo, cum tamen res nulla videatur. Sic res habet in fruitione.

Ceterum visionem actualem esse in oculo, & tamen rem nullam videri, impossibile esse aiunt. Id vero hoc argumento confirmant. Operatio in actu, actualē quoque obiecti praesentiam requirit: non enim facultas potest in aliquid actu tendere, nisi ei sit praesens in ratione obiecti: igitur si visus actu videt, sit necessario res aliqua quae conspiciatur, etsi actu voluntas diligit, sit oportet voluntati res aliqua proposita, quae diligatur. Hac sententia est Alfonsi Toletani .1.5.d. l.q.4.

Alfonfus

Alijs, quos eodem loco commemorat Alfonso, visum est, etiam cognitionem actualem esse posse, cum tamen res cognita nulla sit. Fundamentum opinionis est, quia Deus potest omnem causam mediae causalitatis supplere: cum igitur obiectum circa potentiam causalitatem actiuae motionis habeat, hanc potest Deus per se ipsum immediate explere. Vnde colligunt diligi posse actu illud, quod non est praesens voluntati in ratione obiecti cogniti. Ad id porro affirmandum adducuntur illis argumentis, quibus tertia conclusio est improbata.

Alij apud Alfonso.

Hac tamen omnis controuersia a nobis, nonnullis subiunctis conclusionibus explicatur. Ac prima conclusio est huiusmodi. Fieri non potest, ut illa qualitas quae est notitia insit in aliquo formaliter, quin illud sit formaliter cognoscens. Probatio. Quae admodum se habet albedo ad esse album, sic se habet notitia formaliter ad esse cognoscens: at pugnat inesse albedinem formaliter in aliquo, & ipsum non esse formaliter album: repugnat igitur, ut in aliquo insit notitia formaliter, & tamen ipsum non sit formaliter cognoscens.

Authoris de re proposita opinio alij quibus conclusionibus explicatur. 1. propositio.

Secunda conclusio. Fieri non potest, ut notitia sub ratione notitiae insit in aliquo, & tamen non sit alicuius ut obiecti cogniti notitia. Nam notitia qua notitia est, importat essentialiter respectum quendam attingentiae facultatis cognitricis ad rem cognitam: igitur si formaliter cognitio est, sit oportet alicuius obiecti cognitio. Vtraque conclusio aduersatur doctissimi Alfonsi opinioni,

2. propositio.

DISTINCTIONIS PRIMAE

Alfonſi
opinio p
figatur.

nioni, quæ aſſerebat eſſe poſſe in aliquo for-
maliter viſionē, cum tū ille nō videret, quip-
pe cū nulla res eſſet, quæ cerneretur. Ac ra-
tionis eius, qua ad id aſſerendum eſt addu-
ctus, hinc iam patet diſſolutio. Negatur enī
minor propoſitio. Nam cognitio non eſt
abſolutum aliquid, ſed connotat intrinſe-
cè reſpectum quendam attingentiæ ad rem
præſentem in ratione obiecti cogniti. Ex
quo efficitur, vt in eſſe in aliquo formaliter,
& ſub ratione notiæ non poſſit, cum
interim nihil cognoſcatur.

3. propo-
ſitio.

Tertia conclusio. Sic ſuppleri à Deo cau-
ſalitate rei obiectæ, vt nulla re ipſi facultati
obiecta, perfici poſſit notiæ, factu eſt
impoſſibile. Hac conclusio aduerſatur po-
ſteriori opinioni, quam commemorat Al-
fonſus. Hoc vero ſic oſtendimus. Notiæ
ſub ratione notiæ ad ſignificat reſpectum
quendam intrinſecum ad rem ſibi præſen-
tem in ratione obiecti cogniti: ſed res eſt
præſens aut in ſua actuali, & reali exiſtē-
tia, aut in aliquo representatiuo: facultas
igitur cognitiua ſemper ac neceſſario exci-
tatur ab obiecto præſente, vel in ſeipſo, vel
in imagine ipſius representatiua. Non igitur
ab eo quod ſupplet cauſalitate obiecti.
Porro fundamentum opinionis facile diſ-
ſoluitur. Dicitur enim ad antecedens, quod
eſſi Deus poſſit explere cauſalitate om-
nis cauſæ mediæ effectiua, non tamen cau-
ſæ motiua per modum obiecti, propter reſ-
pectum attingentiæ, quem connotat cog-
nitio formaliter, qui terminatur ad rem
præſentem, vel in ſua exiſtentiâ, aut in ſuo
representatiuo.

4. cōcluf.

Quarta conclusio. Deus poſteſt in potē-
tia cognitiua cōſeruare notiæ materialiter,
hoc eſt, rem illam quæ eſt notiæ, cum
interim res nulla ſit, quæ cognoſcatur. Tūc
enim notiæ non eſt in potētia ſub ratio-
ne notiæ, ac proinde nō importatur reſ-
pectus attingentiæ ad rem præſentem ſub
ratione obiecti cogniti.

5. cōcluf.

Quinta conclusio. Non ſufficit ad volē-
dum, & diligendū actu quippiam vt Deus
excitet voluntatem ad volendum, & dili-

gendum, ſed præſentetur oportet obiectum
volibile, & amabile ipſi voluntati median-
te actione intellectus. Hoc vero ſic volu-
mus eſſe perſuaſum. Quemadmodum
quoduis accidens non poſteſt in eſſe in quo-
uis ſubiecto, ita etiam neq; in proprio ſub-
iecto niſi præcedēte certa diſpoſitione, cuius
eſt conſequens illud accidens: ceu mo-
tus deorſum non poſteſt niſi in corpore re-
periri, eo que habente grauitatem: eſt enim
grauitas ratio, & cauſa per quam corpora
deorſum feruntur. Iam quemadmodum
grauitas forma quædam eſt, per quam cor-
pori conuenit deorſum moueri, ita etiam
cognitio ratio, & forma quædam eſt per
quam voluntati conuenit velle & dilige-
re, quod ipſum quaſi quidam motus eſt, &
inclinatio voluntatis: igitur quemadmo-
dum corpora non poſſunt moueri ad iux-
ta loca, niſi antecedit grauitatis forma, ſic
etiam voluntas hominis non poſteſt quic-
quam velle aut diligere, niſi antecedit rei
volibilis, & amabilis cognitio. Ita proſli-
gata eſt opinio dicentium poſſe volunta-
tem illud actu diligere, quod nō eſt ei præ-
ſens in ratione obiecti cogniti.

Et confirmatur vehementius. Nam po-
tētia tendens in aliquod obiectum non
poſteſt in illud actu tendere, niſi ei ſit præ-
ſens in ratione obiecti: ac ſublata cog-
nitione non poſteſt aliquid eſſe præſens vo-
luntati in ratione obiecti mouentis aut
terminantis: igitur non præuia actione
intellectus voluntas non poſteſt velle, aut
diligere. Maior patet ex adequatione po-
tētiæ ad obiectum. Minor probatur. Bo-
num cognitum eſt obiectum voluntatis,
bonum quidem formaliter, cognitum ve-
ro vt conditio ſine qua non aut moue-
ret, aut terminaret actum voluntatis.
Nam obiectum voluntatis non mouet,
neque terminat actum voluntatis niſi ſit
ei præſens in ratione obiecti: hanc autem
præſentialitatem ſola efficit cognitio: ſub-
lata igitur cognitione non poſteſt aliquid
præſens eſſe voluntati in ratione obiecti
mouentis & terminantis.

Non præ-
uia actio-
ne intelle-
ctus vo-
luntas no-
pot quic-
quam vel-
le, aut di-
ligere.

Secun-

6. Propo-
silio.

Sexta propositio. Deus potest efficere actum voluntatis in voluntate. Quidquid enim potest efficere cum causa media, potest se solo, & per seipsum efficere: non tamen voluntas per talem actum ab ipso Deo causatum immediate, circumscripta actione intellectus potest velle, aut diligere, propter causam supra expositam. Hactenus cum Alfonso sentimus, à Thoma vero Argenti-
na locis supra citatis dissentimus. Quo circa eius motiva facile diluimus.

Ad 6.

¶ Ad primum, quod in ordine, ac serie argumentorum est sextum argumentum, confessa maiore, negatur minor. Porro ad priorum eiusdem minoris probationem respondemus cum Alfonso loco supra citato, esse cognitum non requiri in obiecto voluntatis, ut moueat voluntatem, sed ut sit ei praesens in ratione obiecti, qua praesentia litate sublata, obiectum voluntatis, quod est bonum, non potest mouere voluntatem, neque ipsius actum terminare. Ad posteriorem vero eiusdem minoris probationem dicitur, quod quidquid sit de illo representatio, nihil tamen esse potest praesens voluntati in ratione obiecti, nisi per actum intellectus.

Ad 7.

Ad secundum illius opinionis motiuum, quod est septimum argumentum in ordine, Damus posse Deum cum efficere, tum conseruare actum voluntatis in voluntate, non prauiam actione intellectus: voluntas tamen per talem actum neque volet, neque diligit: siquidem nihil sit ei praesens in ratione obiecti, ut iam ex supra dictis constat. Iam vero actio potentiae tendentis in obiectum non potest actu tendere in illud obiectum, nisi sit ei praesens in ratione obiecti.

Ad 8.

Ad tertium, alias octauum in ordine, dicimus data hypothese, non posse voluntatem diligere, siquidem obiecta res nulla sit quae terminet actum dilectionis. Ad impro-
bationem vero dicitur, facultatem volitivam sub eo eventu non esse dispositam ad actionem obeundam. Nam dispositio, quae praerequiritur ad actum volunta-

tis, est cognitio, quae tamen omnis sublata est, data illa hypothese.

Ad quartum eiusdem opinionis motiuum, quod est nonum argumentum in ordine, respondetur, quod quanquam Deus sit intimior, & praesentior voluntati, quam ipsa sibi, nunquam tamen obiectum voluntatis est sibi praesens in ratione obiecti, nisi per actum intellectus. Ex quibus omnibus efficitur voluntatem non posse actu amare incognitum, id quod multis declarat Augustinus. 10. de Trinitate statim in principio.

Ad 9.

Voluntas non potest incognitum amare. Augusti.

QVAESTIO 3.

Verum fructio sit amor amicitiae, an amor potius concupiscentiae?



Quonia inhaesio per delectationem semper coniuncta est cum inhaesione per amorem, & perfecta fructio in utraque inhaesione consistit.

Fruens enim cum delectatur, tum amat illud bonum quo fruitur, delectatur quidem formaliter, amat vero antecedenter, & concomitanter, ut diximus, iam quaeritur, amor ille quo fruens inhaeret rei fruibili sit ne amor amicitiae, an potius concupiscentiae?

¶ Pro explicatione quaestionis in initio annotandum est, fructionem accipi duobus modis, scilicet, proprie, & improprie. Frui proprie est amore alicui rei inhaerere propter se, rem illam cunctis rebus antefere-
rendo. Frui vero improprie est amore alicui inhaerere absolute, hoc est, illud alijs minime praefere-
ndo, sed statim ut convenientissimum absolute acceptando, quomodo iumenta cibo, & quavis alia voluptate fruuntur, Authore Augustino. 8. quaestionum libro.

Frui proprie quid est.

Frui improprie quid est.

Augusti.

Porro fructio proprie dicta duplex est: vna ordi-

DISTINCTIONIS PRIMAE.

Fruitio ordinata quæ fit & contra, quæ inordinata.

Augusti.

Fruitio perfecta quæ fit, & contra, quæ imperfecta.

Beati in spe.

Conclusio

ordinata, inordinata altera. Fruitio ordinata est, cum voluntas ei rei amore propter se inhæret, quæ propter se diligenda est. Inordinata vero ea est, cum quis amore ei rei propter se inhæret quæ non est propter se, sed propter aliud diligenda, id quod summæ perversitatis esse docet Augustinus in libro 83 questionum, q. 30 summa, ait, perversitas est, frui utendis, & uti fruendis. Sunt autem utenda ea, quæ non propter se, sed propter aliud sunt diligenda, & expetenda. Rursus fruitio ordinata diuiditur in fruitio nem perfectam, & imperfectam. Est autem fruitio perfecta de re iam adepta, ac possessa percepta delectatio: imperfecta vero est gaudium, quod capitur de re nondum actu adepta atque possessa, quâ tamen nos adepturos, ac consecuturos speramus. Prior illa fruitio beatis comprehensoribus convenit in patria. Posterior vero convenit viatoribus, qui ad celestem patriam contendunt, qui ipsi beati appellantur in spe, non in re.

His in hunc modum prænotatis, atque constitutis, ponitur unica conclusio. Fruitio nullo modo est amor concupiscentiæ. Probatio. Fruitio est amor perfectissimus: nihil enim magis amatur, quam illud, cui voluntas amore propter se inhæret, illud omnibus anteferendo: at amor concupiscentiæ non est perfectissimus, nam quod amore concupiscentiæ diligitur, non propter se, sed propter aliud in cuius usum venit, diligitur: relinquatur igitur fruitio non esse amorem concupiscentiæ.

Præterea, si fruitio amor esset concupiscentiæ, fruens Deo ipsum amore concupiscentiæ diligeret: at hæc dilectio est absurda, sic enim fieret, ut Deo uteretur potius, quam frueretur, ut qui Deum non propter se, sed propter alterum, nempe propter seipsum diligeret, ac proinde Deum ad se referret, quod esse perversissimum docuit Augustinus loco supra citato.

REFUTATIO CONCLUSIONIS.

NOstra conclusio non placet Durando Durando 15.d.1.q.2. Item in.4.d.49.q.5. ut qui existimet fruitio nem esse amorem concupiscentiæ in quam opinionem his est argumentis inductus. Ac primum sic argumentatur. Idem est obiectum desiderij, & delectationis consequentis, idem enim est extremum ad quod per motum tenditur, & in quo per quietem sistitur: sed res obiecta desiderio nostro ei, quo Deum desideramus in via, non est aliquod bonum, quod sit habendum ab ipso Deo, nihil enim quod absit, potest Deo accedere, sed bonum aliquod habendum à nobis, id quod ad amorem concupiscentiæ pertinet, cuius obiectum est bonum, quod nobis ipsis, aut alijs volumus, & expetimus, nempe Deum habere, vel videre: igitur delectatio quæ ex tali bono iam adepto percipitur, non est amor amicitia, quo .s. volo amico bonum, sed amor concupiscentiæ, quo mihi volo diuinum bonum.

Præterea, Amor cuius formale obiectum est bonum utile, aut delectans est amor concupiscentiæ: at fruitio est huiusmodi, est illi siquidem propositum bonum summè delectans: est igitur amor concupiscentiæ.

DILUTIO ARGUMENTI.

AD primum responderetur, obiectum desiderij nostri esse diuinum bonum habendum à nobis, non sic quidem, ut precise desideretur, & diligatur prout habendum à nobis, talis siquidem dilectio ad amorem concupiscentiæ pertinet, sed habendum à nobis propter ipsum Deum, quem in nobis glorificari cupimus. Ita fit, ut delectatio consequens ad amorem amicitia pertineat, non ad amorem concupiscentiæ, siquidem bono illo diuino nobis coniuncto delectamur, non tam quia bonum nostrum est, quam quia diuinum est. Beati enim comprehensores prius amant diuinum bonum quia diuinum est, deinde quia suum est. Efficitur autem suum, quatenus eisdem aliquo actu, quo Deus attingitur, coniungitur, siue ille actus sit voluntatis, siue intellectus.

Ad

Beati diuino bono sibi coniuncto delectatur, potius & prius quia diuinum est, deinde quia suum est.

Ad secundum respondetur, negatione maioris propositionis. Etenim amicus bonis amici delectatur, illa tamen delectatio ad amorem amicitiae pertinet. Ad eundem etiam modum fruētis Deo delectatio: siue percipiatur de diuino bono secundum se, siue de bono diuino vt coniuncto, ad amorem amicitiae pertinet, siquidem illud totum ad Dei glorificationem in nobis referatur. Non sicut ergo beati in bono diuino tanquam in suo vltimate, sed tanquam in suo in ordine ad Deum cuius gloria expetunt, quaeque in seipsis glorificari cupiūt.

immediatè fruendum, ita quod visio Dei sit immediatum fruitionis obiectum. Id vero tum ex eo patet, quia visio Dei est creatura. Tum quia fruibile est illud, quod propter se quaeritur, & diligitur: iam vero omne aliud à Deo est in Deum referendum.

Tertia conclusio. Immediatum fruitionis obiectum est ipse Deus. Probatio. Immediatum fruitionis obiectum est illud, quod propter se est diligibile, quodq; propter se quaeritur, & ad nihil aliud refertur, aut est referibile: solus Deus est huiusmodi: igitur immediatum fruitionis obiectum est Deus optimus, & Maximus.

*Sed veri
de beato do
il obhu
mication vt
quo fruib
sicut e obhu
sui inuati vt
3. conclus. quo
videt. spt*

*Immedia
tum frui
tionis ob
iectū est
Deus.*

DE OBIECTO FRUITIONIS.

REFUTATIO CONCLUSIONUM.

Quaestio Quarta.

Vtrum immediatum fruitionis obiectū sit Deus?

PRIMA conclusio hoc argumento refutatur. Non minus debetur cultus laetiae soli Deo, quam fruitio: atqui aliud à Deo laetiae cultu, venerari ordinatè possumus, nempe crucem domini Saluatoris: igitur & aliquo alio à Deo ordinatè frui possumus.

r. Argu.

POSITIS ijs, quae superiore quaestione de varia fruitionis acceptioe docuimus, pro explicatione quaestionis nonnullas subiungimus conclusiones, quarum haec est prima. Nulla creatura ordinatè fruendum est. Probatio. Fruibile est illud, quod propter se solum diligendum, & expetendum est, illud rebus omnibus anteferendo: at nulla res creata sic est aut expetenda, aut diligenda, vt rebus alijs omnibus preferatur: nulla igitur creatura ordinatè fruendum est. Minor ex eo patet, quia solus Deus est sic diligendus, & omne aliud à Deo est in Deo, & propter Deū diligendū.

Prater ea, id quod ordinatè cadit sub vsū, nō potest ordinatè cadere sub fruitionem: nam vt inquit August. summa perversitas est frui vtendis, & vti fruendis, in lib. 8, quaestionum, q. 30. sed omnis creatura ordinatè cadit sub vsū: omni enim alio à Deo vtendū est, vt loco suo docebimus: non potest igitur ordinatè cadere sub fruitionem.

Secunda & tertia conclusio his argumentis refutatur à Durando. Immediatum fruitionis obiectum non est res subiecto distincta à fruente: atqui Deus est res subiecto distincta à fruente: immediatum igitur fruitionis obiectum non est Deus, sed aliquis actus, quo Deus attingitur. Maior propositio duabus rationibus ostenditur: quarum haec est prior. Fruitio formaliter delectationem importat: atqui immediatum delectationis obiectum est formale bonum eius qui delectatur, formale inquam vel secundum rem, vel secundum existimationem: igitur res subiecto distincta à fruente non potest esse immediatum fruitionis obiectum. Consecutio patet, quoniam res subiecto distincta non potest esse formale bonum eius qui delectatur.

*r. s. d. r.
q. 2.
2. Argu.*

*Durandus
pot reduci
in concordiam
dicendo quod
dicitur sit frui
qui fruuntur
e vt frui frui
quo vt
est hic ca
spena. vide
my frui di
Eay vt
Fructus*

Posterior ratio est huiusmodi, fruitio est amor concupiscentiae: atqui obiectum amoris concupiscentiae non est res subiecto distincta à concupiscente: igitur im-

*Augusti.
2. conclus.*

Secunda conclusio. Visio Dei non est

*Nō sicut
beati in
bono di
uino tā
quam in
suo vlti
mate, sed
tanquam
in suo in
ordine ad
Deum.*

*Prima cō
clusio.
Fruibile
quid est.*

Augusti.

2. conclus.

DISTINCTIONIS PRIMAE.

mediatum fruitionis obiectum non est res subiecto à fruente distincta. Minoris probatio. Obiectum amoris concupiscentiæ est bonum aliquod ipsius concupiscentis: atqui res subiecto distincta non est bonum ipsius concupiscentis, nisi actione aliqua eidem coniungatur: igitur obiectum amoris concupiscentiæ non est res subiecto distincta à concupiscente. Hinc fit, ut cum vinum expetitur obiectum illius appetentiæ non sit vinum, sed ipsa vini degustatio.

3. argu.

Secundo ita licet argumentari. Idem est obiectum desiderij & delectationis consequentis: atqui immediatum obiectum desiderij nostri non est Deus: neque igitur est obiectum immediatum delectationis consequentis. Maior ex eo patet, quia idem est terminus in quem tenditur per motum, & in quo, finito motu, mobile cõquiescit, iam verò desiderium habet rationem tendentiæ, delectatio verò, quietis. Minor probatur. Obiectum desiderij habet rationem futuri: Deus autem secundum se non est futurus, sed effectus aliquis eius ceu visio: igitur. &c.

4. argu.

Tertio, Quemadmodum desiderium & delectatio ad bonum, ita timor & tristitia affecta sunt ad malum: at summa tristitia, qua damnati & supplicij sempiternis addicti afficiuntur, non percipitur ex Deo secundum se, sed ex dolore quem perferunt: summa igitur illa delectatio, qua beati in celo perfruuntur, non ex Deo immediate, sed ex ipsa Dei visione percipitur. His argumentis effectum voluit Durandus

Durandus

immediatum fruitionis obiectum non esse Deum, sed visionem ipsius Dei, in qua tamen Deus ceu terminus continetur. Quæ sententia longissime abest a vero. Nos enim dicimus visionem Dei non esse terminum obiectalem fruitionis, sed esse rationem per quam Deus attingitur à fruente. Ita immediatum obiectum fruitionis est Deus visus: visio autem & Deus non sunt duo obiecta, sed vnum. Quemadmodum pecunia, & consecutio pecuniæ non sunt duo fines, sed vnus: alter tamen & aliter spectatur. Nam pecuniæ est finis secun-

dum se, adeptio verò pecuniæ est idem finis ut iam applicatus, & adiunctus. Hinc iam perspicitur argumentorum dissolutio.

DISSOLVTIO ARGVMENTI.

PRimum igitur argumentorum, quo est prima conclusio refutata, diluitur negatione minoris propositionis. Ad probationem vero dicimus, crucem domini, quatenus est res quædam, minime esse adorandam, seu prosequendam adoratione latriæ, sed quatenus est imago Christi cruci affixi. Ita enim adoratio terminatur ad imaginem in ordine ad rem cuius est imago. Idem siquidem motus est in imaginem, & in rem cuius est imago: siquidem imago non est id quod motum terminat secundum se, sed secundum rem in ipsa, & per ipsam representatam: ita etiam comprehensio fructio non terminatur ad visionem obiectiue, sed in rem visam, siue in rem cuius est visio.

Ad 1.

Fruitiõ
beata non
terminatur
ad visionem
obiectiue
sed in re
visam.

Ad secundum, quod ad secundæ & tertiæ conclusionis refutationem pertinet, respondetur negatione maioris. Priori vero probationi ita occurrimus, ut dicamus falsum esse omnino id quod assumitur. Namque amicus bonis amici delectatur, illa tamen bona non sunt formaliter bona ipsius diligentis, ut quæ supposito distinguantur. Dicit tamen possunt bona diligentis, quatenus amicorum in omnia sunt communia, & amicus est alter ego.

Ad 2.

Quod verò ad posteriorem probationem pertinet, negatur & fruitionem esse amorem concupiscentiæ, & amoris concupiscentiæ obiectum non esse rem subiecto distinctam à concupiscente. Nam cum amicum diligo, eidemque volo bonum, amicus ipse amore amicitie diligitur: at bonum illud, quod volo amico, amore concupiscentiæ amatur, quod ipsum tamen supposito ab amico concupiscente distinguitur. Ex quo fit, ut illud minime verum sit quod est à Durando dictum, obiectum amoris concupiscentiæ esse bonum aliquod ipsius concupiscentis. Id siquidem in vniuerso falsum est. Nam bonum illud quod amico expeto

obiectum
amoris
concupi-
scentiæ est
etiam res
a concupi-
scente sup-
posito dis-
tincta.

visio est
ratio per
quam Deus
attingitur,
non tamen
terminus
obiectalis
fruitionis.

Thom. 12. q.
30. ar. 3.
ad 3.

Res,
secuti
rei no
sunt
obiec

Ad 3.

expeto cadit sub amorem concupiscentia, ut quod propter aliud diligatur, non tamen est bonum concupiscentis sed amici, cui expeditur.

Fit etiam, ut illud omnino falsum sit quod Dur. ait. Vinum non esse obiectum appetentiae sed usum, ac perceptionem vini. Imo vero vinum ipsum appetitur, ut materia tamen usus. Ex quo efficitur, ut obiectum illius appetentiae sit vinum potandum. Neque sunt ibi duo obiecta, sed vnum duntaxat. Nam res & assecutio rei non sunt duo fines, sed vnus solum, qui spectatur ut in se, & ut applicatus, quemadmodum supra docuimus. Porro rem & assecutionem rei non esse duo obiecta ex eo intelligitur, quonia duo obiecta requirunt duas rationes formales distinctivas: at obiectum extra, & actus quo attingitur non habent duas rationes formales distinctivas: non sunt igitur duo obiecta.

Adde quia ita eueniret, ut facultas nulla immediate attingeret rem sibi obiectam, siquidem media sit interiecta actio per quam attingitur. At hoc falsum est, siquidem vis omnis & facultas immediate immediatione rei obiectae, licet non immediatione operationis rem sibi propositam & obiectam attingit.

Postremo si res concupita & actio qua attingitur efficeret duo obiecta, illud esset consequens, ut omnis delectatio consequeretur actum reflexum, id quod falsum esse sensus externi declarant, qui suis ipsi actionibus, & obiectis delectantur, ad se tamen ipsi se non referunt, nempe quia sint facultates materiales, organicae & extensae, quae in se minime reflectuntur.

Tertium argumentum diluitur negatione minoris: nam propheta Deum se desiderare testatus est, cum dixit psalmo. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Ad probationem vero minoris dicimus, quod quavis Deus secundum se non sit futurus: est tamen futurus quoad affectum aliquem eius, puta visionem, aut frui-

tionem. Quae tamen ipsa expetimus propter Deum, quae propter se diligimus. Ita fit, ut obiectum delectationis consequentis primum sit bonum ipsum diuinum secundum se, secundarium vero idem illud bonum ut habendum a nobis.

¶ Notandum est magnopere, diuinum bonum, quod est Deus, spectari posse duobus modis: vno modo secundum se, & in se ipso: altero modo ut applicatum homini interuentu actionis, qua vel intellectu, vel voluntate attingitur Deus: qua ratione efficitur bonum hominis. Beati igitur comprehensores diuino bono secundum se, & in se ipso per prius delectantur, deinde ac secundo loco ut bono iam sibi adiuncto. Illud siquidem bonum prius amat, ut bonum diuinum, utpote quia Dei sunt amantissimi: amici autem bonis amicorum delectantur: deinde illud idem bonum amant, ut suum, interim tamen illud in Deum referentes. Nam non solum Deus est in se ipso & propter se ipsum diligendus: verum etiam omnia dona gratuita sunt ad ipsius dilectionem & glorificationem referenda.

Postremum argumentum dissoluitur negata consecutione. Neque enim in vtrisque par ratio est. Nam dolor hominum damnatorum est inordinatus, ac proinde ob id primum dolent, quia poena damni & sensus afficiuntur. Nam impij se ipsos diligunt, omniaque ad amorem sui referunt, etiam usque ad contemptum Dei. At beatorum hominum delectatio est rationi consentanea, ac proinde diuino bono prius, quia bonum diuinum est, delectantur, deinde vero, ac secundo loco quatenus bonum ipso quodam modo efficitur: imo vero multo magis eodem bono delectantur, quia bonum Dei est: quam quod ad se modo aliquo pertineat.

Ex quo iam intelligitur impie dictum esse a Durando, Deum ob id esse bonum beatis, quia premio eos afficit. Est siquidem Deus bonus in se, ac propter se, & haecenus dili-

Primarium fructio- nis obiectum est bonum diuinum secundum se, secundarium vero, ut sabendum a nobis.

Beati diuinum bonum prius amant ut diuinum, deinde ut suum, & sibi coniunctum.

Ad. 4.

Beati multo magis diuino bono delectantur, quia bonum Dei est, quam quod ad se pertineat.

Impie dictum a Durando.

Res, & assecutio rei non sunt duo obiecta.

Ad. 3.

diligitur à beatis. Non enim eo beatus diligit Deum, quia ipso fruendo delectatur, sed quia diligit, ob id fruitur & contēplatione divinitatis pascitur. Vide Dionisiū Cartusianum. 1. 5. d. 1. q. 4.

QVÆSTIO. 5.

Verum Deus amari possit amore concupiscentiæ?



Quoniam amādum esse diximus Deum amore amicitia & nullo modo amore concupiscentia addubatur, an modo aliquo possit De

us amari amore concupiscentia. Caietanus. 2. 2. q. 17. ar. 2. affirmantem sententiam tuetur hoc potissimum argumento ductus. Quoniam illud bonum, quod nobis vel alijs expetimus, cadit sub amorem concupiscentia: at Deus est summū bonū, quod nobis & alijs expetimus: cadit igitur sub amorem concupiscentia.

Negatio tamen his argumentis ostenditur. Obiectum amoris concupiscentia non propter se vltimate, sed propter alterum diligitur: at Deus propter se est vltimate diligendus: non potest igitur esse obiectum amoris concupiscentia.

Item illud magis diligitur propter quod alterum diligitur: at obiectum amoris concupiscentia propter alterum diligitur: illud igitur alterum magis diligitur: atqui Deus est præ cunctis rebus diligendus: non potest igitur esse obiectum amoris concupiscentia.

Caietanus tamen his argumētis occurrens ait, concupitum alteri esse duplex: aut enim expetitur alteri propter ipsum tanquam finem, id quod fit cum res concupita est eiusmodi, quæ sit ordinabilis in alterum tanquam in finem, id quod convenit omni bono creato: aut expetitur alteri non propter ipsum tanquam finem, imo

vero expetitur tanquam finis eius qui expetitur: id vero tum fit cum res concupita non est ordinabilis in rem alterā, imo vero omnia alia ordinantur in ipsam: cuiusmodi est bonum illud summum & increatum. Dicit igitur Caietanus rationem obiecti amoris concupiscentia non in eo consistere, ut sit concupitum propter amicum tanquam finem, in quem illud ordinetur: sed in eo ut sit bonum amici, vel concupitum amico. Ac licet non priori modo, posteriori tamen modo Deus obiectum esse potest amoris concupiscentia. Quavis enim non ametur propter nos, amatur tamen nobis, tanquam bonū nostrum, tametsi secundum effectum eius amari possit propter nos.

Ita facile patet argumentorum solutio. Utroque siquidem argumento conficitur, Deum esse non posse obiectum amoris concupiscentia priori modo, ut scilicet nobis, vel alteri appetatur, ordinando ad ipsum tanquam finem: cum quo tamen stat, ut possit esse obiectum amoris concupiscentia posteriori modo. Negatur igitur in priori argumentatione maior propositio, in posteriori vero minor. Neque enim ratio rei obiecta amori concupiscentia in eo consistit, ut propter alterum diligitur, sed ut sit bonum alteri concupitum, idque vel propter illud tanquam finem, vel ut finis ipsius.

Nobis placet rationem obiecti amoris concupiscentia in eo consistere, ut sit bonum concupitum alteri: ita scilicet, ut in usum ipsius veniat, & vltimate diligatur propter illum tanquam finem, ad quem ordinatur. Id quod Deo nullo modo potest convenire.

Ex quo iam efficitur, ut quod alteri est concupitum tanquam finis ipsius, sub amore amicitia cadat, nempe in quod alterum referatur tanquam in finem. Perinde est enim Deum alteri concupiscere tanquam finem ipsius, atque velle illum ordinari in Deum, ceu in finem: itaque potius illum Deo, quam Deum illi concupiscit.

Dionisius
Cartusianus
1. 5. d. 1. q. 4.

Caietanus

*Illic A.
Dicitur aliter
negat ergo
non amorem
concupiscentia
quod est
vid. vide
omniore*

Aurhoris
Opinio.

Perf
accip
aut p
reque
perfor
aut pre
quæ e
perfor
sub ra
ne per
aa.

Cöcl
Fr
effen
neces
rio fr
eur p
sonis
Thon
22. ar
ad 3.

Q V A E S T I O . 6 .

*Vtrum comprehensor possit beatificè
frui essentia non fruendo personis?*

Persona accipitur aut pro re quæ est persona, aut pro re quæ est persona sub ratione personæ.



Cognitio adhibenda distinctio est, persona accipi potest duobus modis in proposita quaestione: vno modo pro re illa quæ est persona:

altero modo pro re quæ est persona sub ratione personæ. Si priori modo accipitur persona, omnino fieri non potest, ut essentia cadat sub fruitionem beatificam, quin simul cadat persona. Nam diuina essentia est illa met realitas, quæ est persona, & contra realitas personæ est ipsa met realitas essentiæ. Ex quo efficitur necessario, ut quicumque fruatur essentia, fruatur etiã persona. Si vero posteriori modo accipiat persona, quaestio hæc sententiã continet, vtrum comprehensor frui possit re, quæ est essentia, interim eadẽ non fruens prout est persona. Ac hoc modo tractari quaestio consuevit.

Conclusio. Fruens essentia necessario frui potest per personis. Thomas 22. arti. 8. ad 3.

Hanc ergo pro explanatione quaestionis statuimus conclusionem. Comprehensor frui non potest beatificè essentia, quin simul persona perfruatur. Probatio. Cognitio beatifica est intuitiua obiecti beatifici: at cognitio intuitiua terminatur in rem existẽtem prout existit: terminatur igitur cognitio intuitiua essentiæ in eandẽ essentiã prout existit: existit aut in tribus personis: non potest igitur diuina essentia intuitiue cognosci nisi prout existit in tribus personis: at qui ad cognitionẽ sequitur fruitio: non potest igitur essentia sub fruitionem cadere quin simul cadant personæ.

Præterea beatifica cognitio est perfecta: at cognitio perfecta essentiæ est cognitio eiusdẽ essentiæ prout comunicatur cū tribus personis: cognoscens igitur beatificè essentiã, cognoscit ipsam vt comunicatã cum tribus personis: fruitio aut beatifica cõsequitur fruitionem beatificam: igitur fruens essentia necessario quoque fruatur personis.

Adde quia pro nullo signo diuina essentia est non comunicata cū tribus personis: pro nullo igitur signo potest cognosci, vt non comunicata cū tribus personis: at ad cognitionẽ sequitur fruitio: igitur pro nullo signo potest homo frui essentia, quin simul fruatur personis. Sunt qui huic cõclusioni ita fidem faciant. Cernens essentiã, cernit totã triũ personarũ realitatem, personalitates siquidẽ diuinæ nullã essentiæ realitatẽ addũt: videns igitur essentiã videt necessario personarum trinitatẽ. Hoc tamen argumentũ id quod est propositum non efficit, quando quidẽ sit sophisticũ & captiosum. Namque personæ verbũ non eodẽ modo accipitur in antecedẽte, & cõsequente. Nam in antecedẽte sumitur pro re illa, quæ est persona, quæ cū non sit distincta ab essentia, sed eadem omnino, fieri non potest quin visa essentia ipsa non videatur, quemadmodũ initio quaestionis annotauimus. In consequẽte vero sumitur persona pro re quæ est persona sub conceptu personæ. At fieri potest de sententiã aduersariorũ vt aliquis videt re quæ est essentia prout est essentia non videat eandẽ prout est persona. Ita argumentũ Caietani id quod est propositũ minimè cõcludit, ad quod tamen efficiendum superiores rationes sunt accomodate.

Caiet. 22. q. 2. ar. 8. ad 3.

Est ergo firma & rata cõclusio, non posse villo modo beatum videre essentiã, quin eandem quoq; videat vt comunicatam cum tribus personis. Impossibilitas verò ortum habet cū ex parte cognitionis beatificæ, quæ & perfecta est, & intuitiua diuinæ essentiæ: tum ex parte obiecti beatifici, quod ipsum, D. Ioanne teste, proponitur beatis mentibus intuendum sicuti est: (videbimus inquit eum, sicuti est) at Deus est vnus & trinus: igitur beatus Deum vnum ac trinum beatificè intuetur. Hæc conclusio probata est D. Thomæ 22. q. 2. art. 8. ad 3. Henrico quodlib. 20. q. 7. Ochamo. 1. d. 1. q. 5. Alfonso Toletano. 1. d. 1. q. 8.

1. Ioan. 3.

REFVTATIO CONCLV.

Dottissimo Scoto hæc assertio minimè probatur. Quocirca eius de re propositi-

Scotus. 1. d. 1. q. 8.

DIS T I N C T I O N I S P R I M A E

ta extant duæ cōclusionēs. Prior conclusio est huiusmodi. De facto fruitio beatifica est essētiæ prout est in tribus personis. Id verò hac ratione vult esse persuasum. Actus frui- tionis ex se habet vt sit essētiæ prout est in tribus personis: igitur beata fruitio in pa- tria de facto est essētiæ prout est in tribus personis. Antecedēs ostenditur. Essentia est ratio formalis obiecti fruibilis: at essētiæ est perfectissimè in tribus personis: igitur actus frui- tionis ex se habet quod sit diuinæ essen- tiæ prout est in tribus personis. Ex se inquit hoc sibi vèdicat actus frui- tionis per relatio- nē ad potentiam creaturæ, quæ non pōt frui essētiæ quin simul fruatur, personis: non tñ per relationē ad diuinā omni potētiā. Quo circa posterior iam conclusio subiungitur.

1. Argu. Posterior concl. Non cōtinet repugnā- tiam, imo verò per absolutā Dei potentiam fieri pōt, vt comprehensor fruatur essentia interim nō fruens personis. Huic verò con- clusioni ita fidē facit Scotus. Actio respici- ens duo obiecta, vnū per se primo, alterum per se secundo, pōt per absolutā Dei potē- tiam ferri in primariū obiectū, cū interim non feratur in secundariū: At fruitio com- prehensoris respicit duo obiecta, essentiam quidē vt obiectū primariū, personam vero vt obiectū secundariū, & concomitās: nam relatio qua huiusmodi cū non sit bonū infi- nitū non beat: secundo igitur loco & conco- mitanter beat, quatenus videlicet est in es- sentia: fieri igitur potest, vt feratur in essen- tiam cum interim in personā non feratur.

2. Argu. Item, si essētiæ non cōueniret beare nisi in tribus personis, essentia absolutè sumpta non esset summè perfecta: namque beare ad summam excellentiam & perfectionē pertinet: cōsequens est falsum: igitur etcet.

3. Argu. Item, essētiā intelligi potest non cōintel- lecta persona, id quod fit cum intelligitur sub ratione summi boni: igitur diligi sum- mē potest, interim nō cōdilecta persona.

4. Argu. Item, habēs summū bonū explens ac sa- tians appetitū voluntatis est beatus: atqui habens essētiā, præscindendo à relatione habet summū bonū explens ac satians ap- petitū voluntatis: essentia enim diuina vt

sic, hoc est, absolutè sumpta præscisa omni relatione est summū, & infinitū bonum, & nihil ad huiusmodi bonitatē facit relatio, cum non superaddat essētiæ, nisi respectū solum: est igitur perfectè beat⁹: non igitur fruitio beatifica, vt sic, necessariò est diuinæ essētiæ prout est in personis.

Confirmatur argumēto Scotico vehemē- tissimo. Pater æternus prius quā gignat filiū est perfectè beatus: habet igitur perfectè ob- iectū beatificū: at pro eo instati originis nō habet essētiā sibi obiectam vt cōmunica- tam cū tribus personis, sed vel absolutè vel certè prout in vna persona reperitur: igitur fruitio beatifica qua huiusmodi nō est ne- cessariò essētiæ, prout reperitur in trib⁹ per- sonis. Antecedēti sic fidē facit Scotus. Pater in primo signo originis est essētiā liter per- fectus: habet igitur omnē essentialē perfec- tionē: at beatitudo est in perfectionibus es- sentialibus: prius igitur origine, quā diuina essentia cōmunicetur est perfectè beatus.

Ad hac omni signo, quo pater habet essē- tiā, habet omnē perfectionē essentialē: at ante productionē filij & spiritus sancti ha- bet essētiā: igitur & beatitudinē, quæ nu- meratur in perfectionibus ad essētiā atti- nentibus. Maior ostenditur. Pater cōmuni- cat essētiā cum omni perfectione essētia- li: igitur omni signo, quo pater habet essen- tiā, habet omnē perfectionē essentialē. Mi- nor ostenditur. Nā pater est illo priori signo originis, quo cōmunicat essētiā: ac proin- de illo priori signo habet esse per essētiā, & proprietatem: & formam hypotasticam non tamen vt relatam.

Itē, pater beatifica cognitione cognoscit essētiā, vt in se ipso: igitur beatificè fruitur essētiā, vt in se ipso. Cōsecutio patet: antecē- des ostēditur. Si pater æternus beatifica co- gnitione intelligeret essētiā vt in filio, bea- retur essētiā vt in filio, itaq; fieret, vt pater aliquam perfectionem reciperet à filio vel ab aliquo vt in filio. Namque beare ad per- fectionem pertinet.

Postremo contra conclusionem ego sic arguor. Si repugnaret cōprehensore frui essentia non fruēdo personis, illa repu- gnantia

5. Argu.
6. Argu.
7. Argu.

gnantia ortū haberet necessario, aut ex natura visionis diuinæ essentia: quia .s. sic est visio absolutorū, vt sit etiam necessario re- latorum: aut ex cōnexionione relationū cum essētia: aut ex natura beatificę cognitionis quia .s. videns essentiam & non vidēs personas non haberet complectē obiectū bea- tificū: at ex nullo horū provenit repugnan- tia: igitur. etc. Minor singulatim ostēditur.

Non provenit repugnantia ex primo .s. ex natura visionis diuinæ essentię: Nam cū potētia respicit duo obiecta, vnū primariū, & alterum secundariū, Deus potest effice- re, vt illa potentia tendat in primariū obie- ctum cū interim non tēdat in secundariū: quia pōt concurrere cū potentia in ordine ad primariū solum nō concurrēdo interim in ordine ad secundariū: at visio Dei respi- cit essentiā tanquam obiectū primariū, rela- tionēs verò vt secundariū, & concomitās: igitur non provenit repugnātia ex secūdo, hoc est, ex cōnexionione relationū cum essen- tia. Nā cum aliqua inter se formaliter distin- guuntur, & vnū non includitur in cōceptu alterius, pōt cognosci vnū altero non cog- nito: atqui essētia & relatio in diuinis for- maliter distinguūtur, & relationes nō inclu- dūtur, in conceptu essentię: igitur. etc. Neq; postremo repugnātia ortum habet ex natu- ra & conditione obiecti beatifici. Nā habēs essentiā precisē, habet summū bonum: igitur cognitio beatifica vt sic nō necessario coexigit diuinam essentiam in personis.

DILVTIO ARGUMENT.

Nobis placet Scoti sententiā nullo modo posse defendi, vt quę apertē repugnan- tiā cōtineat, nempe vnū & eundē esse bea- tum, & non esse beatū. Est siquidē beatus ex hypothesi, non beatus verò, siquidem data hypothesi, hoc est, cognoscēdo essentiā per abstractionē à personis, eandē non modo beatificē non cognoscat, sed neq; cognos- cat quidē. Nam simpliciter simplex aut to- tum scitur, aut totū ignoratur. Ex quo fit, ut vidēs essentiā, & non vidēs proprietates, quę sunt essentialēs & interinæ ipsi essētię, Deum omnino non videat. Quo circa ar- gumenta Scotica iam diluenda sunt.

Ad primum, negatur minor propositio. Nam essentia & relatio non sunt duo obie- ctā beatifica, vnū primariū, & alterū secun- dariū, sed obiectū beatificum est constitutū ex essentia diuina & personalitatibus, iuxta sententiā August. .i. de doctrina christiana libro asserentis, rem, quę nos beatos efficit, esse patrē, filiū, & spiritu sanctum. Quibus verbis apertissimē declaratur, obiectū bea- tificum esse diuinā essentiam sub proprie- tatibus personalibus. Damus tamen vni- uersam beandi rationem positam esse in essentia: ceterum id quod beat est persona.

Ad secundum negatur, consecutio. Nam quod diuina essētia non beet, nisi prout est in tribus personis, id non provenit ex diui- nę essētię imperfectione, cū vniuersa ratio beandi posita sit in diuina essentia, quę est summū bonū hominis, sed provenit ex con- ditione visionis beatificę, quę cū sit intuiti- ua necessario terminatur ad essentiā, prout existit: existit autē in tribus personis: termi- natur igitur ad essentiā communicatam cū tribus personis. Et cum sit perfectissima, fit vt non possit beatificē cerni diuina essētia, quin personę quoque conspiciātur.

Ad tertiū, damus diuinā essentiā à com- prehēssore cognosci non intellecta personā: cognitione tamen abstractiua & non intui- tiua. Ad quā tamen cognitionem consequi potest fruitio, imperfecta tñ, & non beatifi- ca. Nam beatifica fruitio necessario termi- natur ad essentiam prout est in personis: vt quę consequatur cognitionem cum perfe- ctam, tum in tuitiuam essentia.

Ad quartū dicitur ad minore: essentiam præcindēdo à personis esse summū bonū radicaliter & fundamentaliter. Est enim in diuina essētia posita vniuersa beandi ratio: Persona tñ est id quod beat. Quoniam verò in ratione obiecti beatifici non solū requiri- tur beatus quo, verū etiā id quod beat: essen- tia autē diuina sit vero beandi, persona verò id quod beat: sequitur, vt per se obiectū bea- tificum sit essentia cum personis, siue essen- tia diuina visa, vt trina & vna. Ceterum beatus quo, & quod, hoc est, essentia & persona non sunt duo obiecta fruitionis:

E 2 quorum

Ad 1.

Augusti.

Ratiobe- andi est essentia, at id qd beat, est persona.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

*Idē Aliges
X. infra Can-
cellata ad*

obiectū beatificū est essen- tia vt in tribus per- sonis.

Cognos- ce. essentiam non cognosce- do perso- nas, ipsa Dei essen- tiam mi- nime cog- noscit.

*sed hęc
sibi non
implat q.
quę sunt
de
non est
de quibus
beato.*

Argu.

Argu.

Argu.

Argu.

Vidēs ef-
fentia nō
videndo
personas
est beatus
fundamē
taliter, nō
obiectiue

quorum vnū sit prius, alterum posterius (vt
visum est Scoto) sed conficiūt vnum per se
ob. eētū beatitudinis: ex quo fit, vt habēs di
uinā essētiā, interim non vidēs personas,
si beatus ille quidē, fundamētaliter tamen,
vt pote quia habeat fundamētū beatitudi
nis, non tamen obiectiue, vt pote quia non
habeat obiectum beatificū quod cōstat ex
essētia & personalitatibus.

Ad 5.

Ad quintum Scoti negatur antecedens.
Pro nullo enim signo pater est beatus, pro
quo nō sit filius & spiritus sanctus. Alio qui
si pro aliquo signo pater est, pro quo eodem
filius nō est, illud est consequēs, vt filius ac
ceperit esse post nō esse. Recte enī sequitur,
pater est in signo, A, & in eodē nō est filius,
sed in signo, B, igitur filius post non esse in
signo, A, obtinuit esse in signo, B, illud etiā
est consequēs pro aliquo signo esse diuinā
essētiā, pro quo nō est cōmunicata cū tri
bus personis: ac proinde pro eodē signo nō
esse triadem personarū, id quod & cogitatu
& dictu impiū est. Negatur igitur antece
dēs Scoticū. Caterum dentur nec ne hac
signa Scotica, alibi expendemus. Pater igitur
semper & pro ōni signo est beatus essē
tia cōmunicata cum tribus personis: neque
potest pro aliquo signo frui essētia non
fruendo personis: igitur. et cetera.

Ad 6.

Ad sextum, negatur min. propositio. Nā
si pater ante productionē filij & spiritus sā
cti haberet essētiā: pro aliquo signo esset
pater pro quo eodē non esset filius & spiritus
sanctus, id quod tñ non est catholice dictū:
ita enī fieret primū, vt pro aliquo signo pa
ter non esset pater, nepe quia pro aliquo sig
no esset, pro quo eodē non esset filius: dein
de quod filius acciperet esse pōt non esse:
postremo quod pro eodem signo non esset
Trinitas. Sūt igitur pro eodē signo pater, fi
lius, & spiritus sanctus, vt sit interim filius
à patre & spiritus sanctus, à patre & filio.

Ad 7.

Ad septimū dicimus, patrē esse beatū co
gnitione essētiæ non solū vt est in se, verū
etiā vt est cū filio cōmunicata: non tamen
inde cōsequitur, vt pater cognitionē aliqua
recipiat à filio, sed quod intueatur essētiā
cōprehensiuē, sic aut cernitur essētia nō so

lū vt cōmunicata cū tribus personis, verū
etiā vt rerū omniū effectrix. Hinc sequitur
nullā personā diuinā beatificē videre essētiā
p̄cise, vt est in se formaliter: quia, vt sic, cer
nitur imperfectē, sed vt est in tribus personis.

Ad octauū respondetur, ex quolibet eorū,
quæ cōmemorata sunt, repugnantia oriri.
Ex primo quidē prouenit repugnantia, quo
niam visio diuinæ essētiæ sic est visio essen
tiæ, vt etiā necessariō sit visio personalitatū:
tū quia personalitates sunt intrinsecæ ipsi
essētiæ: tum quia essētia, & persona nō sunt
duo obiecta, sed ex essētia, & relatione cō
stituitur vnū per se obiectū beatificū, vt iā
exposuimus. Prouenit etiā repugnantia ex
secundo: tum quia relationes includūtur in
adæquato cōceptu Deitatis: si enim diuina
essētia esset diffinibilis, in diffinitione Dei
tatis poneretur non solū absoluta, verū etiā
oīa respectiua: tum etiā, quia nō videretur
Deo nisi videretur personæ, siquidē relatiuæ
proprietas sunt intrinsecæ & essētiæ ipsi
Deo. Prouenit etiā repugnantia ex tertio.
Nā obiectū actus beatifici est Deo sicuti est
vt dicitur 1. Ioā. 3. At Deus est essētia in tri
bus personis: igitur vidēs essētiā, nō vidēdo
personas non hēt cōplete obiectū beatificū.
¶ Scio Scotū dicere, illud sicuti est, significa
re existētiā, & non incōmunicabile substi
tentiā, ita vt sensus illius propositionis sit
huiusmodi: videbimus Deū sicuti est, hoc
est, diuinitatē secundū suam actualē existi
tiā contēplabimur. Sed hæc Scoti interpretati
o, & suæ sententiæ apertē aduersatur, & no
st̄ & magnopere suffragatur. Nā si illa par
ticula, sicuti est, significat modū actualē exi
stēdi Dei, ita vt modus essendi includatur
in obiecto beatifico: Deus autē est existēs tri
nus & vnus, sequitur vt Deus prout in tribus
personis existit sit obiectū visionis beatifi
cæ. Quare si Deus videretur sine personis
iam non bearet: non enim videretur sicuti
est, & animus nondum conquiesceret, in
quirens modū, quo Deus est trinus & vnus.

Accedit, quia nō minus huic Deo interna
est sua personalitas, quā Socrati: at si cerne
retur solum hac humanitas Socratis, & nō
suppositū habens naturam, non cerneretur

Nulla per
sona bea
tificē cer
nit essen
tiam p̄c
ise vt est
in se for
maliter.
ad 8.

Enaſio
Scotica.

Refuta
tio.

Socra

Socrates sicuti est, imo verò nec Socrates cerneretur: igitur si conspiciatur hæc Deitas, & non suppositū habens Deitatem, hic Deus minime cernitur sicuti est, imo verò neque hic Deus cerneretur.

Postremo, Quemadmodum supposito- rum est agere & pati, ita etiam terminare: igitur essentia per abstractionē à personis non potest intuitivam cognitionem termi- nare. Quare illud, sicuti est, nō solū exis- tentiā determinat, verū etiam incōmuni- cabilem subsistentiā, quæ est in causa, vt res existens cognitionē intuitivā terminet. Ad

hęc tñ argumēta p Scoto pōt sic respōderi.

Ad primum negatur consequētia. Nam hoc interest inter indiuiduū naturæ creatæ & increatæ, quia indiuiduū naturæ creatæ idem est suppositum: vnde nec existit, nec subsistit nisi proprietate incōmunicabili. Idē enim est hic homo & Socrates: At indiui- duū naturæ increatæ non item. Vnde fit vt existat & subsistat etiā præcisā proprietate incōmunicabili. Et ratio est, quia proprie- tas personalis est relatio, quæ non pōt dare existentia aut subsistentiam. Existit autē & subsistit se ipso. Vnde non cognita persona litate, cognoscitur indiuiduū naturæ diui- næ: non tñ non cognita personalitate natu- ræ singularis creatæ, iam cognoscitur indi- viduum naturæ creatæ.

Ad secundum hinc iam patet responsio. Namq; ad terminandā cognitionē intuiti- uā sufficit vt terminans sit singulare existēs & subsistēs, licet non sit subsistens incōmu- nicabiliter. Vnde illud, sicuti est, denotat existentiam, & subsistentiam absolutē, licet non incōmunicabilē. Est ergo sensus, Vide- bimus ipsam essentiā diuinitatis existētē non per speculū, aut in enigmate, sed clarē & in se ipsa.

Contra sic arguitur. Quēadmodum ho- mini interna est rationalitas, ita etiā huic Deo sua personalitas: at non cognoscitur homo, non cognita rationalitate: igitur nō cognoscitur hic Deus, nō cognita sua perso- nalitate. Negatur maior, Nā rationalitas est de cōceptu hominis formali & essentiali vt

sic: at paternitas nō est de cōceptu formali Dei vt sic, licet sit de cōceptu eius essentiali per identitatē: siquidē omnia respectiua sūt ipsa essentia diuinitatis per identitatē realē.

class Dei per iden- titatē, nō tamen de conceptu formali.

QVAESTIO. 7.

Anne comprehensor frui possit vna per- sona solum, interim non fruendo alijs personis?



Onitur pro explicatione quæstionis conclusio ne- gatiua: ea verò est huius- modi. Comprehensor non potest beatificè frui vna persona, quin simul alijs fruatur. Probatio. Beatifica fruitio perso- næ, eiusdem beatificā cognitionem requi- rit: at beatificè cognosci persona nō potest nisi perfectè cognoscatur: perfecta aut ip- sius cognitio posita est nō solū in cognitio- ne essentia, & proprietatis relatiuæ ex qua constituitur: verum etiā in cognitione ha- bitudinis ipsius ad quamlibet alterā perso- nam: cernens igitur beatificè patrē, videt illum gignentem filiū, & spirantem spiritū sanctum. Prætereā, is qui beatificè diuinā essentiam intuetur, tres etiā (quemadmo- dum diximus) diuinas personas intuetur: at cernens quamlibet personā cernit essen- tiam beatificè: omnes igitur diuinas perso- nas intuetur. Ita fit, vt beatus neq; essentia frui possit sine personis, nec vna persona, interim non fruens altera persona.

REFUTATIO CONCLUS.

HÆ conclusio his argumētis refutatur. Omni signo pro quo pater habet esse- ntiam, habet beatitudinē: atqui prius origine quam gignat filiū habet essentiā: habet igitur beatitudinē: igitur pater est beatus fru- ens essentia vt in se, interim non fruendo essentia communicata cū tribus personis. Prætereā, Prius secundum rationē pater est beatus quàm sit habens filiū, & amorē subsistentē: igitur beatus potest frui beatifi- cè vna persona interim non fruendo alijs.

scotus 2. d. 1. q. 2. 2. Argu.

2. Argu.

E 3 Confe-

lla per a bea- ce cer- essen- m præ e vt est e for- licet. 8.

Nota
Ecc en
nō est
D. de
Defensio
opiniōis
scoti.
Ad 1.

na fio
otica.

Ad 2.

futa.

Optima
expositio
illius lo-
ci, vide-
bimus
Deum si-
cuti est.

obiectio

solutio.
Nota
Respecti
ua sunt
de conce-
ptu esse-

DISTINCTIONIS PRIMAE

Consecutionis vis aperta est. Antecedens ostenditur. Pater prius intelligitur constitutus, quam relatus: quæque enim res prius intelligitur esse quam operari: at relatio consequitur actionem: igitur pater prius intelligitur constitutus, quam relatus: at qui in illo priori, quo pater constitutus intelligitur, est Deus, constituitur enim ex essentia & proprietate: igitur est beatus: namque beatitudo ad perfectionem essentialē pertinet.

DILUTIO ARGUMENTI.

Ad 1.

PRIUS illud argumentum iam superiori quaestione est explicatum: negamus enim esse dabile aliquod signum, quantumvis individuum: pro quo pater sit habens essentiam & pro eodem non sit filius. ex eo enim (quæ admodum supra docuimus) multa existunt à fide catholica abhorrentia. Concedimus tamen patrem ut constitutum præintelligi filio, siue essentiam sub relatiua proprietate patris, quatenus est forma hypostatica, præintelligi eidem essentia quatenus est sub relatiua proprietate filij. Quoniã tamen hinc illud videtur consequi, quod posteriori contra conclusionem argumento ad efficiendum est propositum, iam posterius argumentum dissoluendum est.

Ad 2.

Pater pro illo priori, pro quo præintelligitur filio, non est beatus obiectiue sed fundamentaliter solū, & radicaliter.

Posterius igitur argumentum diluitur negatione antecedentis. Ad probationem vero dicitur, patrem pro illo priori pro quo præintelligitur filio esse Deum, non tamen esse beatum obiectiue, hoc est, non habere obiectum beatitudinis, quod est essentia sub tribus personis: esse tamen beatum fundamentaliter & radicaliter: habet enim in se uniuersam beatitudinis rationem, quæ est diuina essentia. ¶ Si dicas in illo priori pater est Deus: igitur habet quidquid ad rationem Deitatis pertinet: atqui ad rationem Deitatis pertinet beatitudo, quemadmodum bonitas, sapientia, & cetera huiusmodi perfectiones attributales: sequitur igitur patrem in illo priori esse beatum non solū fundamentaliter, verum etiã formaliter. ¶ Dicimus in illo priori intellectiois nostræ, patri Deo competere quidquid ad rationem Deitatis per-

tinet quod ipsum est præcisè essentialē: secus si sit notionale, vel essentialē connotans notionale, cuiusmodi est beatitudo diuina: significat enim essentiam, non præcisè tamen, sed essentiam connotando personas: est enim beatitudo obiectiua diuina essentia communicata cum tribus personis.

Opinio tamen opposita defendi potest cum Scoto, ad quam confirmandam satis valent illæ rationes, quas in secundo articulo quaestionis adduximus. Porro ad rationem primam in contrarium, quæ posita est pro nostra assertionem confirmandam, respondetur, perfectam cognitionem personæ positam esse in cognitione essentia & proprietatis illius personæ, in quantum constitutiua personæ: licet non in quantum relatiua: hoc si quidem posterius ad esse hypostaticum & personale minime requiritur. Ad secundam negatur maior, iuxta doctrinam traditam pro Scoto in superiori quaestione.

✠ QVÆSTIO. 8. ✠

Utrum viator possit frui essentia non fruendo personis?



DE re proposita duplicem statuimus conclusionem. Prior conclusio est huiusmodi. Viator potest frui essentia non fruendo personis.

Probatio. Diuina essentia potest cognosci à viatore ut summum bonum, & ut summè diligibile non cognitum interim personis, id quod philosophis contigit: etenim inuestigatione naturæ eò perueniunt, ut intelligerent Deum esse summum ac præstantissimum bonum: triadem tamen personarum minime cognouerunt. Potuerunt igitur philosophi summum illud bonum amare, eoque fruendo delectari, cum interim personis minime fruerentur.

Posterior conclusio. Viator potest frui vna persona non fruendo altera. Probatio. Vna persona potest intelligi à viatore, altera non intellecta, ea scilicet cum qua minime confertur: potest igitur vna persona

sub

Beatitudo obiectiua est diuina essentia ut in tribus personis. Defensio scoti.

Prima conclusio. Viator potest frui essentia non fruendo personis.

2. conclusio.

Viator potest frui vna persona, non fruendo altera.

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

Ad 1.

Ad 2.

obiec.

Resp. fio.

sub dilectionem & fruitionem viatoris cadere, cum interim altera simul sub dilectionem & fruitionem minimè cadat.

REFUTATIO CONCLUS.

1. Argu. **P**Rior conclusio hoc argumento refutatur. Fruens Deo tanquam summo bono super omnia diligibili fruitur etiam personis: viator igitur non potest frui essentia, quin simul diuinis fruatur personis. Porro antecedens ex eo intelligitur, quia eadem est omnino realitas essentiae & personae.

2. Argu. **P**osterior conclusio hoc argumento improbatur. Viator intelligens creatorem et cointelligens creaturam potest frui creatore: & tamen non fruitur creatura: potest igitur intelligens patrem & cointelligens filium amore tendere in patrem cum interim amore non tendat in filium. Adde,

3. Argu. quia distinctae personae distinctè etiam cognoscuntur à viatore, utpote de quibus distincti articuli habeantur: distinctè igitur ac separatim diligi possunt.

DILUTIO ARGUMENT.

Ad 1. **A**D primum respondetur, fruëtem Deo tanquam summo & summe diligendo bono, frui etiam personis secundum rem, propter identitatem personalitatum diuinarum cum essentia: non tñ frui personis formaliter & sub conceptu personae, quomodo in hisce questionibus accipi personam initio totius huius disputationis docuimus.

Ad 2. Ad secundum, negatur consequutio. Neque enim est utrobique par ratio: nam in creatore & creatura non est eadem diligibilitatis ratio, in patre tamen & filio eadem omnino cernitur diligibilitatis, & fruibilitatis ratio. Ex quo efficitur, ut pater diligi & sub fruitione cadere non possit quin simul & filius diligatur, & sub fruitionem cadat.

obiectio **O**bjici tamen contra potest. Cogitans de patre, & amore complectens patrem interim nihil cogitat de filio, & amore in ipsum non tendit: potest igitur viator frui persona, interim non fruens ea ad quam refertur.

Respon- **R**espondent quidam posse patrem cognos-

ci interim non cointellecto filio: non tamen posse cognosci patrem, hoc est, sub conceptu patris, non cointellecto filio. **E**go dicerem in cōceptu actuali vnus relatiui, non necessario includi notionem actualē alterius relatiui, sed habitualē. Quocirca viator actu cogitans de patre, & fruens actu patre, filium habitu cointelligit & condiligit. Potest igitur viator actu frui vna persona, non fruens altera actu, ut fruatur interim habitu, qui quidem ad actum traducitur, cum de illa persona actualis cogitatio suscipitur. **H**inc iam constat ad postremum argumentum responsio. Dicimus enim distinctas personas distinctè cognosci cognitione actuali, non tamen habituali: namq; in cognitione actuali vnus personae relatae alterius eidem opposita habitualis cognitio includitur.

Gab. r. d. 1. q. vnica.

QVAESTIO .9.

Verum fruens diuinis personis vnica fruitione an multis eisdem fruatur.



Dicitur vnica conclusio. **C**omprehensor vnica fruitione tribus personis fruitur. Probatio. Vbi est vna ratio fruibilitatis, ibi est vna fruitio: at

Tho. r. d. 1. q. 2. Egid. r. d. r. q. 5. Scotus r. s. d. r. q. 2

in tribus diuinis personis cernitur vnica fruibilitatis ratio, nepe vna summa bonitas quemadmodum vna essentia: sequitur igitur, ut comprehensor vnica fruitione tribus diuinis personis fruatur.

Secundo, Vbi est vnū obiectum fruibile, ibi est vnica fruitio, namq; actio ut specie, ita etiam vnitatē consequitur ex re obiecta, ut scilicet vna actio sit vnus obiecti: at in diuinis est vnū obiectū fruibile: igitur etc. Minor ostenditur. Obiectū fruibile est finis vltimus: at tres diuinae personae non sunt tres fines, sed vnus finis ad quem omnia referuntur, quemadmodum vnū principium à quo oīa oriuntur: vnica igitur fruitioe attinguntur.

Comprehensor vnica fruitione fruitur tribus personis.

Tertio, Quemadmodū adoratio respicit

maiestatem, ita fruitio bonitatem: at propter vnam trium personarum maiestatem vna est duntaxat trium personarum veneratio: igitur propter vnicam bonitatem vna est solum trium personarum fruitio.

REFUTATIO CONCLUSIONIS.

Primum.

HAEC conclusio his argumentis refellitur. Quod terminatur ad distincta quatenus distincta habet esse distinctum: nam operatio quemadmodum specie, ita distinctionem capit ex termino: atqui fruitio terminatur ad distincta quatenus distincta: habet igitur esse distinctum, ut scilicet distinctae personae sub distinctam fruitionem cadant. Minoris probatio. Visio comprehensoris terminatur ad distincta quatenus distincta: cognoscit enim comprehensor distincte personas quatenus distinctae sunt: at fruitio visionem consequitur: fruitio igitur terminatur ad distincta quatenus distincta sunt.

Secundum

Secundo, Vbi sunt multa obiecta fruibilia quorum vnum non est alterum, ibi sunt distinctae fruitiones: at in diuinis sunt multa obiecta fruibilia quorum vnum non est alterum: namque (de sententia Augustini) res, quae nos beatos efficiunt, sunt pater, filius, & spiritus sanctus, & vnum suppositum non est aliud: relinquitur igitur esse multas multorum ac distinctorum obiectorum fruibilia fruitiones.

Augusti.

DILUTIO ARGUMENTI.

Ad 1.

PRIUS argumentum diluitur negata minori propositione. Ad probationem vero respondetur negata consequentia: nam quamuis visio beatifica terminetur ad distincta quatenus distincta sunt: videt enim comprehensor tres personas distinctas, prout distinctae sunt, fruitio tamen non terminatur ad distincta prout distincta sunt, sed quatenus habent vnam fruibilitatis rationem. Ita fit, ut tres diuinae personae sint vnum obiectum beatificum & fruibile propter vnam fruibilitatis rationem, nempe Deitatem, per quam constituuntur in esse beatifico & fruibili.

Diuinae personae sunt vnum obiectum fruibile, propter vnicam fruibilitatis rationem.

Ad secundum respondetur negata minori propositione. Nam in diuinis est vnum obiectum beatificum & fruibile quod est Deus: ut sint interim multa obiecta fruibilia & beatifica personaliter, scilicet pater, filius, & spiritus sanctus, quorum vnus non est alius. Sunt igitur in diuinis multa obiecta fruibilia personaliter, & vnum duntaxat essentialiter, quod est Deus gloriosus, summus, & praepotens.

Ad 2. Vnum est obiectum fruibile essentialiter, sunt enim multa personaliter.

Tandem ut punctum attingamus, quae res, quae nos beatos efficiunt, sint pater, filius, & spiritus sanctus, quia tamen omnes diuinae personae sub vna ratione beant, terminantque fruitionem, proinde sunt veluti partes vnius adaequati obiecti beatifici & fruibilis, quod est Deus summe bonus, & vnus rerum omnium finis: licetque proinde dicere ad minorem illius posterioris argumenti, esse in diuinis multa obiecta fruibilia partialia, vnum vero adaequatum & totale.

Resolutio difficultatis.

Deus vt summum bonum est obiectum fruibile adaequatum, & totale.

QVAESTIO. 10.

Vtrum obiecto beatifico clare viso possit voluntas creata non frui?



Response questionis explicatione, haec vnica statuitur conclusio. Obiecto beatifico clare viso non potest voluntas creata non frui.

Conclusio Obiecto beatifico clare viso non potest voluntas creata non frui. Thomas Durandus Argentina

Hac conclusio est D. Thomae. 12. quaestione. 10. articulo. 2. Item 1. parte, quaestione. 82. articulo 2 Tertio. contra gentes cap. 62. Est etiam Durandi. 4. sententiarum, distinctione. 49. quaestione. 8. Est etiam Thomae de Argentina. 1. sententiarum distinctione. 1. quaestione. 2. Huius conclusionis prima probatio sumitur ex Diuo Thoma. 12. q. 10. ar. 2. Ea autem est huiusmodi. Si posset voluntas creata obiecto beatifico clare viso non frui: aut non frueretur, quia illud repudiaret, siue non acceptaret: aut quia actionem suspenderet, siue intermitteret: neutro modo potest non frui: voluntas igitur creata obiecto beatifico clare viso non potest non frui.

frui. Minor quoad priorem partē ostenditur. Id, quod continet omnem boni rationem, non potest non acceptari sed obiectū beatificum omnem boni rationem continet, vt pote quia sit summum & vniuersale bonum: non potest igitur non acceptari. Minor propositio aperta est: maior ostenditur. Tota ratio propter quā aliquod particulare bonum à voluntate minime acceptatur, sed repudiatur potius, ea est, quia illud particulare bonum deficit ab aliqua ratione boni, propter cuius defectum accipi potest vt non bonū, ac proinde non acceptari, sed repudiari: igitur si voluntati proponatur aliquod bonum, quod omni ex parte & omnibus modis bonum est, non potest voluntas illud non amplecti, & acceptare.

Posterior vero pars minoris sic ostenditur. Si voluntas, posita clara conspectione summi boni, actum fruitionis intermitteret: illa intermissio proponeretur ei, aut sub ratione maioris boni, aut minoris, aut æqualis: non sub ratione maioris boni, aut æqualis, hoc siquidem iudicium est erroneum: iudicaret enim ratio intermissionē fruitionis diuinæ essentiaē esse maius bonum, quam actualement eius fruitionem, vel certē esse ei æquale bonum, at ratio comprehensoris videntis obiectum beatificum decipi nullo modo potest. Nec sub ratione minoris boni: sic enim minus bonum preferretur maiori, id quod cum à ratione errante proficiscatur, in comprehensorem, qui summam veritatem clarē intuetur, cadere nullo modo potest.

Secunda ratio sumitur ex eodē D. Thoma. 1. parte, quæstione. 82. articulo. 2. ad secundum, quæ ita habet. Obiectum comparatur ad voluntatem sicut mouens ad mobile: sed applicato mouente ipsi mobili, cuius vis & potentia sic excedit mobile, vt tota possibilitas mobilis subdatur mouenti, necessario & continuo causatur motus in mobili: igitur proposito ipsi voluntati vniuersali bono continente omne bonum necessario voluntas fertur in illud. Consequentia probatur. Quoniam possibilitas

voluntatis est respectu vniuersalis & perfecti boni: sed Deus est vniuersale & perfectum bonum: igitur clarē visus nō potest non ad se trahere voluntatem, ac proinde voluntas hominis videntis & fruētis Deo nullo modo potest actum fruitionis intermittere.

Tertia ratio sumitur ex tertio. contra gentes loco supra citato. Quidquid appetit voluntas, apprehenditur à ratione sub ratione boni: sed cessare ab actuali fruitione obiecti beatifici non potest apprehendi sub ratione boni: quia illud non est bonum, vt pote quia sit impeditiuum maioris boni, beatus autem non errat in iudicando: igitur voluntas beati videntis Deum non potest ab actuali eiusdem fruitione desistere.

Quarto, si voluntas beata pro aliquo instanti posset non frui obiecto beatifico clarē viso, posset pro eodem instanti peccare: consequens repugnat voluntati habenti obiectum beatificum: igitur & illud ex quo consequitur. Sequella probatur. Voluntas habens obiectum beatificum per te est libera libertate contradictionis respectu fruitionis illius obiecti, ita scilicet vt possit eo frui & non frui, hoc est, actū fruitionis circa illud non elicere: igitur potest peccatum omissionis admittere. Consequentio patet ex eo, si detur aliquod instans pro quo diuino præcepto voluntas habens obiectum beatificum teneatur actum fruitionis elicere. Nam si pro eo instanti, & pro quolibet voluntas est libera, sequitur vt pro eo instanti, & pro quolibet voluntas possit actum ommittere, ac proinde peccatum omissionis admittere.

Quinto, Voluntas viatoris non potest non elicere actum volitionis circa obiectū beatificum in vniuersali ostensum: igitur & circa obiectum beatificum clarē conspectum. Consequentio patet per locum à minori: antecedens ostenditur. Quemadmodum se habet graue ad motum inferum, sic se habet voluntas ad finem vltimum: in vtroque enim cernitur naturalis inclinatio, illius quidem ad locum inferum, huius

verē

Thomas de Argentina vbi supra.

Thomas Argentina

DISTINCTIONIS PRIMAE

vero ad vltimum finem: at graue, sublato impediēte continuo mouetur, neque potest non ferri in locum inferum sibi natura conuenientem: igitur & voluntas, sublato impediēte quod est non actualis consideratio, non potest non actu tendere in finē vltimum voluntatis actū exercendo. Stante igitur actuali vltimi finis consideratione, etiā obscura & confusa, non potest voluntas non elicere actū volitionis circa illū.

Thomas
Argētina

Postremo. Quando aliqua potentia secundum se totam excedenter mouetur ab aliquo obiecto, si talis motio fuerit eidem cōueniens & naturali inclinationi, ac propensionī ipsius consentanea, tunc potentia necessariō fertur in obiectum: alioqui potentia non esset sufficienter & secundum se totam immutata, sed secundum aliquid sui esset nō mota: quo fieret, vt ab illo obiecto se se posset auertere, & ad aliud conuētere, siue actionem volitionis circa illud suspendere: at obiectum beatificum clarē conspectum excedenter, ac sufficientissimē voluntatem, quantum ad se totam & quodlibet sui mouet, estque illa motio cōuenientissima voluntati: igitur voluntas in tale obiectum fertur necessariō, neque potest se se ab illo auertere actionem fruitionis intermittendo.

Opposita
opinio
est scoti
1. d. 1. q. 4
1. Argu.

REFUTATIO CONCLUSIONIS.

Conclusio variē refutatur: ac primum sic refellitur. Vna potentia vnicū tantum habet modum agendi: atqui modus agendi ipsius voluntatis proprius est agere liberē, & contingenter: igitur non agit necessariō: alioqui oppositi modi agendi inessent eidem potentia.

2. Argu.

Præterea. Approximatio agentis ad passum non est efficiens necessitatis causa, vt possit efficere actionem intensiorem: at obiectum acceptum vt clarē visum, & vt obscure visum est aliud nihil, quā maior, aut minor approximatio ad potentiā: & visum in vniuersali & obscure non affert necessitatem facultati: igitur neq; clarē, & aperte

conspectum eandem afferret.

Ad hæc: Agendi necessitas non potest alicui competere, nisi interuentu alicuius intrinseci conuenientis principio elicitiuo illius actus: at obiectum clarē conspectū non est aliquid internum voluntati: non igitur efficiet, vt volūtas necessariō fruatur.

3. Argu.

Item, Habitus non mutat facultatem, neque rationem agendi eidem naturaliter conuenientem: atqui voluntas, qua voluntas, agit liberē & contingenter: quantumcunque igitur eleuetur per caritatem in patria, semper tñ liberē agit & contingenter.

4. Argu.

Postremo, Ad hanc actionem voluntatis, quam dicis esse necessariam, aut mouet ipsum obiectum fruibile, aut voluntas, aut vtrunque: si ipsum obiectum: nulla igitur est ibi necessitas: nam Deus ad extra nihil agit necessariō: si voluntas, nulla etiam ibi erit necessitas, cū sit potētia libera: sin verō vtrūq; illud etiā consequitur: igitur. etc.

5. Argu.

DISSOLVTIO ARGUMENTORUM.

Primum argumentum diluitur negatione maioris propositionis: etenim voluntas diuina est vna potentia, habet tamen varium agendi modum: namque ad intra est principium productiuum necessarium, ad extra verō est principium productiuum liberum & contingens.

Ad 1.
Hæc argumenta diluuntur D. Thomæ studio nempe. Capræolus. 1. d. q. 3. Caiet. 1. p. q. 45. art. 2. Ferrar. 3. cōtra gētes cap. 62. Argētina loco citato.

Quod vero attinet ad solutionem secundī argumenti, notandum Capræolum soluere illud argumentum negando minorē, nempe quod obiectum beatificum clarē visum, & idem obscure cognitum se habeant sicut maior & minor approximatio eiusdē obiecti ad potentiam, sed sicut diuersa ratio obiectalis. Nam cum bonum cognitum sit obiectum voluntatis, sequitur vt secundū diuersam rationem cognitionis, varietur quodam modo ratio obiecti.

Ferrariensis tamen loco supra citato respondet, maiorem esse veram de approximatione secundū locum. Nam maior approximatio agentis ad passum secundū sitū, non est causa necessitatis, sed maioris inten-

inten-

Maior
proximatio
secundum
locum
efficacitatem
in actu
non necessitate
contra
ro ma
approximatio
cuncta
adheret
tiam.

Ad

Ad

Nec
tas
plex
actio
& im
tabili
ris
natu

Major ap-
proxima-
tio secun-
dum sitū
efficie in-
tentionem
in actu
nō neces-
sitate,
contra ve-
ro maior
approxi-
matio se-
cundum
adhären-
tiam.

intentionis in actu. Falsam tamen esse ait de approximatione secundum adhaerentiam. Nam maior approximatō secundū adhaerentiam non solum efficit intensiorem actum, verum etiam eidem affert necessitatem. Dicitur autem illud obiectum magis proximum secundum adhaerentiā, quod secundum rationem sibi magis propriam adhaeret: Deus igitur clarè visus, & non clarè visus adhaeret voluntati: diuerso tamen modo: nam clarè visus adhaeret voluntati secundum ipsam eius essentiam, & propriam rationem: at obscurè cognitus secundum rationem à rebus creatis acceptā: & ideo clarè visus non solum mouet ad amandum intensius, verum etiam necessitat ad amandum: obscurè verò cognitus non item. Vnde negatur consequutio.

Tertio responderi potest negando minorem. Nam summum bonum etiam in via apprehensum sub ratione vniuersalis boni necessitatem affert voluntati, saltem quoad actus specificationē, licet non quoad actus exercitium.

Ad 3. Ad tertium respondetur, quod etsi obiectum clarè visum non sit aliquid internū voluntati, necessitas tamen tendendi in illud conuenit voluntati per aliquid internum, nempe per naturam propriam sibi diuinitus datam: tamen si talis tendendi necessitas non conueniat voluntati respectu cuiuslibet obiecti, sed solum respectu summi boni.

Ad 4. Ad quartum negatur maior. Nam deletabiliter agere etiam pertinet admodum, siue rationē agendi ipsius potentiae: at modus ille conuenit potentiae, & facultati interuentu habitus. Ad minorem etiam dicitur, voluntatem in ea qua sunt circa vltimum finem liberè tendere, & omnino contingenter: at in ipsum vltimum finem tendere necessariò necessitate non quidē coactionis, sed necessitate naturae, siue immutabilitatis: qua stare potest cum libertate. ¶ Pro quo illud est diligentissimè annotandum, duplicem esse necessitatem: vnam qua dicitur coactionis, & violentiae: alterā

Necessitas du-
plex. s. co-
actionis,
& immu-
tabilitatis,
siue
naturae.

qua dicitur consuevit necessitas immutabilitatis. Ea autem est rei conuenientis cū conuenienti coniunctio. Interest autem plurimum inter haec duo necessitatis genera: nam prius illud necessitatis genus stare nō potest cū libertate, hoc verò posterius potest. ¶ Objici tamen contra potest. Posterius genus necessitatis est necessitas naturae, qua affecta est ad vnum tantum: at libertas affecta est ad apposita, siue contrariè, siue contradictoriè: igitur posterius necessitatis genus stare non potest cū libertate.

Dicimus, duplex esse libertatis genus: vnum contradictionis: alterum summæ complacentiae. Libertas contradictionis est ea, qua possumus hoc & oppositum, qua conuenit voluntati quoad actum electionis in ordine ad ea qua ad finem comparantur. Libertas summæ complacentiae est quaedam placidissima voluntatis, ac propensissima tendentia in obiectum ostensum sub ratione perfecti, & vniuersalis boni: cuiusmodi libertas conuenit voluntati respectu vltimi finis. Necessitas igitur immutabilitatis, licet non possit stare cum libertate prioris generis, stare tamen potest cum libertate posterioris generis, vt pote quia inter se minimè pugnant.

Ad vltimum respondetur, illam necessitatem ex vtroque proficisci, ex obiecto scilicet fruibili, & ex voluntate fruente. Obiectum siquidē fruibile, ita sufficienter mouet voluntatem, vt actionem amoris in ipsum necessariò eliciat, & ipsa voluntas à summo bono excitata suapte natura continuo & immutabiliter sibi in eo complacendo tendit in illud.

DEFENSIO SCOTI.

CAETERUM superioris opinionis fundamenta pro Scoto dilui etiam non incommodè possunt. Ad primum igitur argumentum dicitur, cessationē ab actione fruitionis ex nulla illarum causarū proficisci, sed ex libertate voluntatis, quā fruēs obiecto beatifico non amittit.

Ad secundum respondetur, minore esse veram

Obiectio

Dilutio.

Libertas
contradi-
ctionis.

*Disputat
de libertate
Libertas sola
complacentiae.
frui dicitur
liberabitur
in gratia*

Ad 4.

Ad 1. con-
tra Scotū

Ad 2.

DISTINCTIONIS PRIMAE

veram in mouentibus naturaliter & motu
proprè dicto, secus in motiente obiectiue,
hoc est, per modum obiecti, & in mobili
libero, cuiusmodi est voluntas, quæ cū sit
essentialiter libera, pro omni statu & respec-
tu cuiuslibet obiecti est libera quoad exer-
citiū actus, vt ipse etiam D. Thomas do-
cet de veritate. q. 22. art. 6. quo loco sic ait,
Voluntas est libera quantum ad exercitiū
actus, hoc est, velle, & nō velle in quolibet
statu naturæ & respectu cuiuslibet obiecti.

Nota ver-
ba D. Tho-
mæ.

Ad 3.

Ad tertium respondetur negando mino-
rem: namq; beatus cessans ab actuali Dei
fruitione, cessat ad experiendam liberta-
tem voluntatis, id quod habet etiam ratio-
nem boni. Et cum dicitur, illud est impe-
ditiuum maioris boni: igitur non est bo-
num, neganda est consequutio. Nam non
inde sequitur quod non sit bonū, sed quod
sit minus bonum. Si dicas igitur beatus pro
aliquo nunc, præfert minus bonum maiori
bono, id quod cum proficiscatur à ratione
errante repugnat ei, qui summam verita-
tem clarè intuetur.

Obiectio
prima. e-
st a Scotū

Obiectio
secunda.

Et confirmatur, quia iudiciū practicū
de summo bono nunc diligendo, & fruen-
do est homini naturale, & necessarium: nō
potest igitur nunc suspendi, ac deponi sus-
penderetur autem si nunc iudicaret cessan-
dum esse ab actuali summi boni fruitione
pro experienda libertate voluntatis: igitur
neque ad experiendam libertatem volunta-
tis potest beatus non frui nunc summo bo-
no clare viso.

Responsio
ad priorē
obiectio-
nem.

Ad priorē obiectiōnem respondetur
negando consequentiā. Nam si beatus ces-
saret à fruitione non cessaret præferendo
cessationem ab actu fruitionis ipsi actuali
fruitioni, sed experiendo solam libertatem
voluntatis, id quod representatur volūtatī
sub ratione boni absolute, & nō cōparatiue.

Resp. ad
posteriorē.

Ad posteriorē verò obiectiōnem res-
pondetur. Iudiciū practicū de summo
bono diligēdo esse homini naturale, & ne-
cessarium, quoad actus specificationē: ita
enim iudicat humana ratio summum bo-
num diligendum, vt non possit vllō modo

iudicare oppositum, quemadmodum sic il-
lud voluntas vult, vt non possit nolle, non
tamen est ei naturale & necessariū quoad
exercitiū actus. Semper enim voluntas
manet libera cum ad suspendendum illud
iudiciū, tum ad dilectionē consequentē.

Ad quartum respondetur negando se-
quellam. Ad probationē verò dicitur, quod
data illa hypothēsi volūtas beati non omit-
teret actum fruitionis, vt quæ pro ratione
status sit habens summam rectitudinē: non
tamen iam inde sequitur quod non sit li-
bera respectu actus fruitionis pro eo nunc:
nam licet non sit libera pro eo nunc liber-
ta e contradictionis, est tamen libera liber-
ta e complacentiæ: ceterum pro quolibet
alio nunc, est libera libertate contradictio-
nis, nempe quia valeat ad opposita, scilicet
ad fruendum & non fruendum, propter
iam expositas rationes.

Ad 4.

Ad quintum negatur antecedens. Nam
voluntas creata licet necessitetur respectu
vltimi finis sub ratione vniuersali, & con-
fusedè apprehēsi quoad specificationē actus,
non tamen quoad exercitiū. Et hæc est
opinio D. Thomæ. 1. p. q. 62. art. 8. ad 2. Itē,
q. 82. art. 2. ad 2. & locis alijs supra citatis.
Et tandem est communis opinio doctorū.

Ad 5.

Contrarium tamen sentit Thomas Ar-
gentina 1. d. 1. q. 2. Existimat enim volunta-
tem ab vltimo fine ostenso ei sub ratione
summi & vniuersalis boni, etiam pro statu
viæ, necessitari non solum quoad actus
specificationem, sed etiam quoad exerci-
tium, ita quod non possit actum volū-
tionis suspendere. Mouetur autem argumen-
to supra adducto. Quæ eius opinio nobis nō
placeat: quocirca merito negandum puta-
uimus antecedens. Porro ad antecedentis
probationem, dicimus esse dissimilem ra-
tionem in graui, & in voluntate: nam mo-
tus rei grauis ad locum inferū consequitur
formam: motus verò voluntatis in finem
vltimum consequitur cognitionē. Item ille
motus præcisè, & omnino est naturalis, vt
qui sit a re omnino naturali, prout natura-
lis est: hic verò non est omnino naturalis,
sed

Opinio
Thomæ
de Argen-
tina.

Soluitur
argumen-
tum Ar-
gentina.

sed solum obiectivè: neque est à re omnino naturali, sed cognoscere, & libera. Quocirca cum dicitur, stante actuali ultimi finis consideratione sub ratione summi boni voluntatem continuo in illum tendere, illa tendentia non sic est accipienda, quod tendat actum elicendo positivè: sed negativè, nempe quod tendat non respuendo.

igitur vti aliud nihil esse videtur, quàm rem quampiam ad vsum & actionem cōferre. Minor ostenditur. Naturales animi facultates, & instrumenta ipsis inseruentia non applicantur se ipsis ad agendum, sed imperio voluntatis, quæ præsidet, ac dominatur omnibus animæ viribus: ijs scilicet, quæ libero hominis arbitrio subdūtur: igitur etc.

Actus aliquis est naturalis dupliciter, obiectivè. scilicet et elicivè.

Contra tamen res habet quoad obiectum beatificum clarè visum. Namque in illud cendit utroque modo non solum non respuendo, sed actū circa illud necessariò elicendo. Ex quò fit, vt ille actus sit naturalis omnino, hoc est, non solum obiectivè, verum etiam elicivè.

Hinc iam intelligitur, vti ijs solum convenire, quæ ratione vtuntur, vt author est Augustinus ita inquires, vti non potest nisi quod rationis est particeps. Etenim vti est dominatu quodam, & liberè ad vsum & actionem applicare. Ita fit, vt vus non sit in vte, quemadmodum fruitio in fructe, sed in re ipsa applicata suo vsui.

Augusti. lib. 1. de doctrina christiana. vti est re applicare ad vsum.

Ad postremum respondetur, veram esse maiorem si potentia sit naturalis omnino, secus si sit libera, & rationalis: hæc siquidè semper valet ad opposita quoad actus exercitium, aliàs nõ esset libera: vni autem potentia vnus modus agendi competit.

REFUTATIO CONCLUS.

Vsus est operatio cuiuslibet rei, veluti equitatio vsus est equi, & loquutio vsus est lingue: igitur vti est operatio cuiusvis rei.

Præterea, Si vti est applicare re suo vsui & suæ actioni, ac proinde vti illius facultatis est operatio, cuius est animi vires suis actionibus applicare: sequitur, vt vti sit etiam operatio intellectus, siquidem intellectus sit sui ad actionem applicativus: non est igitur vti solum operatio voluntatis.

Ita questio tractata est in partes contrarias, quamvis pars negativa videatur esse multo probabilior.

DE VSV, DE QVE IJS QUÆ SUB VSUM CADUNT.

Quæstio prima.

An ne vti sit actus voluntatis?

Conclusio vnica.



Respondetur vnica conclusione, eavero est huiusmodi. Vti est actio voluntatis tanquàm immediatè elicivè. Id vero in hunc modum ostenditur. Vti est aliud nihil quam rem quampiam suæ actioni applicare: igitur illius facultatis actio est vti, cuius est animi facultates suis vsibus & functionibus applicare: hæc autem est voluntas: est igitur vti actio voluntatis propria. Maior propositio ex eo liquet, quoniam vus dici consuevit cuiusvis rei operatio: vus enim gladij est scissio, quemadmodum vus linguæ est loquutio:

Vti est actio voluntatis.

DILUTIO ARGUMENT.

Primum argumentum diluitur negatione consequentionis. Nam vti non est in se habere operationem, sed eam in re, quæ cadit sub vsum, efficere: ex quo fit, vt vti non sit operatio eius, in quo inest operatio subiectivè, sed eius cuius est rem suæ applicare actioni, cuiusmodi est voluntas. Quocirca vt sit vus rei cuiusque operatio, non tamen vti est operatio cuiuslibet rei. Contra res habet in fruitione. Nam cum frui sit in se habere delectationem, hinc efficitur, vt frui illius solum sit operatio, in quo inest ipsa delectatio.

Notandum est hoc loco, applicationem rei hanc ad suam actionem accipi duobus modis: vno modo latius, & est aliud nihil, quàm facultatis ad rem sibi obiectam, &

Nota, applicatione rei ad suam actionem esse duplicem.

propo-

propositam applicatio: altero modo presertius, & est nihil aliud, quam rem quamlibet, aut facultatem suam actioni applicare, rei alicuius alterius assequenda gratia. Priori modo frui est uti. Nam in fruitione, saltim via, fit libera applicatio voluntatis fruientis ad rem fruibilem, interuentu fruitionis. Ac hoc modo etiam sine ultimo utimur ut testatur Augustinus. 10. de Trinitate libro, sic inquiens, frui est uti cum gaudio, non iam spei sed rei. Posteriori vero, uti secernitur a fruitione. Namque auctore Augustino. 2. de doctrina christiana, frui, est amore alicui rei inherere propter se: Uti vero est id quod in usum venit, referre ad id, quod sub fruitionem cadit. Hoc modo, uti, capitur in conclusione.

Augusti.

Augusti.

Ad 2.

Ad secundum respondetur negata consequentia. Nam intellectus non est sui applicatiuus ad actionem, sed vel applicatur a voluntate, vel ab intellectu primo in ordine intellectualium, id quod fit in primis intellectionibus, quae in nobis multis in rebus citra electionem & discursum reperiuntur: quas in nobis esse a Deo mouente, & influente, & specialem curam intellectualium creaturarum habente, non est ullo modo dubitandum. Lege s. Thomam. 1. p. q. 82. art. 4.

✠ Q V A E S T I O . 2 . ✠

De obiecto ipsius uti.

Utrum rebus omnibus sic utendum?

Cōclusio
Rebus omnibus extra Deum est utendum.



Onitur vnica cōclusio. Rebus omnibus extra Deum est utendum. Probatio. De sententia Augustini. 1. de doctrina christi. frui est amore rei alicui inherere propter se: uti vero est, id quod in usum venit referre ad obtinendum illud, quo fruendum est, igitur omnibus illis est utendum, quae cadere possunt sub facultate voluntatis referentis illa in finem vltimum, omnibus igitur alijs a Deo decenter & or-

Aug. lib. 1. de doctrina christiana capit. 3. et 4.

dinate uti possumus. Minoris probatio. Omnia alia a Deo, aut sunt bona, aut sunt mala: mala subinde, aut sunt in malis poenae, aut in malis culpa: haec autem omnia referri possunt in finem vltimum: namque bona, aut sunt naturae bona, aut bona moralia, ceu virtutes, & actiones virtuti consentaneae, haec omnia possunt referri in finem vltimum. Quemadmodum enim omnia a diuina potentia ceu a principio profecta sunt: ita in diuinam bonitatem tanquam in finem referuntur.

Mala vero quae dicuntur mala poenae etiam in finem vltimum referri possunt, ac proinde eis est utendum: Namque auctore Augustino, ijs omnibus est utendum, quibus ad summam beatitudinem contendentes adiuuamur: at mala poenae ad hoc ipsum nobis multum adiumenti afferunt: depellunt enim auctore Aristot. 2. ethic. animi morbos, quibus ex animo eiectis efficitur homo ad capeendum virtutis studium accommodatus, cuius virtutis actu Deo carus efficitur, malis igitur poenae est utendum.

Malis etiam culpa est utendum tanquam obiectis, non quidem operabilibus a nobis, sed referibilibus ad nostram utilitatem: qualis enim homo ex peccato a se, vel ab alio comisso, hoc capit utilitatis, ut fragilitatem suam agnoscat, & demissior, ac cautior, & circumspectior ea cognita, & perspecta, euadat. Caeterum huusmodi utilitatis peccatum non est causa effectiua, sed occasionalis. Ac in hunc modum sunt accipienda verba glossae super illud Pauli ad Roma. 8. omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum: eo enim loco ita a glossa dicitur. Si aliqui deuiant, & exorbitant, hoc ipsum facit eis proficere in bonum, quia redeunt humiliores, & doctiores. In eandem sententiam ait Augustinus in enchiridione cap. 11. Deum cum sit summe bonus nullo modo sinere mala fieri, nisi sciret de malis bona facere.

Eadem conclusio hoc etiam argumento ostenditur. Omne quod est citra extremum rerum omnium expetendum, aut est cogni-

Augusti. lib. 1. de doctrina christiana cap. 3. et 4.

Quomodo sic utendum malis culpa

Roma. 8.

Glossa.

Augusti.

bile à nobis interuentu facultatum cogni-
triciu: aut appetendum, siue aspernan-
dam interuentu facultatum appetentium:
aut cadere sub effectiōem potest interue-
tu facultatum effectiuarum: at facultati vo-
luntatis subiectæ sunt omnes animi facul-
tates, tam cognoscentes quam appetentes,
& effectiuæ, quatenus imperio voluntatis
applicatur ad suas actiones obeundas cir-
ca propria obiecta: omnibus igitur quæ sunt
citra vltimum finem est vtendum.

Hoc tamen interest quoniam voluntas
immediatè vtitur animi facultatibus, quas
ad agendum impellit: ceteris vero omni-
bus, quatenus cadunt sub actiones faculta-
tum, tanquam propria obiecta, siue cogno-
bilia, siue appetibilia, siue effectibilia.

REFVTATIO CONCLVS.

1. Argu. **P**roposita conclusio duobus argumentis
refutatur. Prius argumentum est huius
modi. Si rebus omnibus citra vltimum finem
esset vtendum, illud eueniret profecto, vt
nulla esset actio indifferens: consequens est
falsum: igitur, etc. Consequutio ostendi-
tur. Actio aut in finem vltimum refertur,
aut secus: si refertur, est igitur virtuti con-
sentanea si non refertur, aut est eiusmodi,
quæ nullo modo possit referri, & talis actio
est omnino, ac suapte natura vitiosa: aut
certè potest illa quidem referri, sed tamen
non refertur, & talis actio est otiosa ac pro-
inde etiam vitiosa.

2. Argu. Secundo, si omnibus alijs à fine vltimo
esset vtendum, illud esset consequens pro-
fecto, vt nullum omnino esset peccatū ve-
niale, sed omne peccatum esset mortale: at
consequens est omnino falsum: igitur etc.
Consequutio ostenditur. Omnis actio pro-
posito, & voluntate suscepta refertur ad
aliquem finem necesse est: vel igitur ille fi-
nis est vltimus, ad quem sunt omnia re-
ferenda, vel est aliquis alius finis, qui ta-
men neque actu, neq; habitu in finem vlti-
mum refertur. Priori modo nullum om-
nino admittitur peccatum, posteriori ve-
ro modo admittitur, idque mortiferum.

Nullus igitur peccato veniali locus relin-
quitur.

DILVTIO ARGVMENTO.

AD primum, negatur consecutio. Porro
quod ad probationem atinet, dicimus
humanam actionem posse considerari duo-
bus modis: vno modo secundum speciem,
quam cōsequitur ex re obiecta: altero mo-
do prout ab hoc indiuiduo exercetur. Prio-
ri modo datur actio indifferens: nam esse
potest aliquod obiectum volitū, quod ip-
sum collatū cum ratione recta, neque ei-
dem aduersetur, neque cum ipsa congruat:
veluti profectio in agrum, sublatio lapilli.
Posteriori vero modo, nulla datur actio in-
differens. Nam cum omnis actio huius-
modi ad finem aliquem referatur, finis il-
le aut debitus sit necesse est, aut indebitus:
si finis est debitus, actio bona est: si vero
indebitus, actio est vitiosa, vt quæ sine de-
bito careat: omnis igitur actio, prout ab
hoc indiuiduo exercetur sit bona, aut ma-
la necesse est.

An vero sit necesse, vt omnis actio in fi-
nem vltimum referatur, sic quidē, vt si nō
referatur sit vitiosa, in secundo sententia-
rum libro est excutiendum, eoque proinde
huius difficultatis explicationem remittimus.

Ad secundum D. Thomas, & Egidius. i.
d. i. q. 3. ita respondendū putant, vt dicant,
actionem peccati venialis referri illā qui-
dem in finem vltimum, non tamen actu,
sed habitu. Nāque peccans venialiter Deū
habet propositum sibi vt finem, habitu ta-
men, neque sibi rem creatam, vt finem vlti-
mum proponit, vt qui ipsam diligit ci-
tra Deum: sed ob id solum venialiter pec-
cat, quia id non diligit, propter quem so-
lum sunt omnia diligēda, & ad quem sunt
omnia referenda. Etenim peccans venia-
liter est similis homini perpetuum iter fa-
cienti, qui etsi perpetui itineris decursum
intermittat, & aliquandiu moretur, nun-
quam tamen itinere decedit, aut à prose-
quendi itineris voluntate discedit: sic etiā
peccans venialiter, quamuis aliquid diligit

præter

Ad 1.

Actio in-
differens
nulla est
in actu
exercito.

Ad 2.
Thomas.
Egidius.

simile.
Peccans
veniali-
ter etsi a-
mittat in-
tentionem
actualem
vltimi fi-
nis, nun-
quam ha-
bitualem